BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIX
A
39
NAPOLI

[illegible] Google


w. p. Kilian sc.

PAN-SOPHIA ENCHIRETCA,

ſeu

Philoſophia Univerſalis Experimentalis, in Academia Moyſis primùm per ſex prima Capita libri primi Geneſeos tradita,

Demum

per Ignem Examinata & probata,

per quam

Natura Univerſalis rerum omnium, Veſtibus denudata, in Virginitate, & Simplicitate ſua, omnium oculis ſpectabilis exponitur, ſtante poſt tabulam

Arnoldo Bachimio Denſtonio Coſmoſopho Authore.

Impenſis Jo[illegible]is ZIEGERI, Bibliopolæ NORIBERGENSIS,

Anno Chriſti M. DC. LXXXII.

14

[illegible]

AMICE LECTOR.

PRodit in lucem nova (ut tibi videtur) Philoſophia, aſt, ſi non es fermento ordinariæ doctrinæ rancidus, nimiumq; in illo ſepultus, tibiq; veritas, non error communis, cordi eſt, invenies eſſe antiquiſſimam, cum ipſo univerſo exortam, de qua Moyſes pagellas aliquas, vel ex adepta Ægyptiorum ſcientia, vel dictante Sp. Sancto deſcripſit. Hunc Præceptorem ego ſecutus, alios neglexi, & quidquid ratio, & ex-

perientia ſuggeſſit, boni publici cauſa huc contuli; non alia ex cauſa, quàm ut Mundus litterarius videat, an non hac via omnes naturæ Operationes meliùs explicari valerent, quàm per aliam. Sic quoq; licet Theſes nominaverim, Hypotheſes tantùm cenſentur. Undè, ſi quid præter meam voluntatem irrepſit, vel contra bonos mores, vel fidem Catholicam, totum id revoco, annihilo, & pro non ſcripto habeo. Spero autem, me nihil tanti erroris commiſiſſe, ſic enim mihi ſum conſcius. Vale Lector benevole, & judica quod vis, utrumq;

utrumq́; mihi idem eſt, ſi enim vera ſcripſi, te ringente & rabioſo manebit tamen inconcuſſa veritas, ſi verò falſa, tum me parùm æquè morantur, cum tantùm ſint meræ Hypotheſes.

THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA EXPERIMENTALI

Ex Libro Naturæ deſcripta, & per Ignem Examinata & Probata.

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA.

THESIS I.

NUmen aliquod dari ratione evinci poteſt, non autem experientiâ, quam tamen ſupplet fides, & in fide fundatæ viſiones DEI. Id Numen à ſeipſo extitiſſe neceſſarium habuit, ſi DEUS eſt, idque ab æterno, Immenſus, infinitis dotibus plenus, creator mundi, & omnium Univerſi partium director, mo-

tor, Conſervator, conſcius humanarum actionum & cogitationum, præmiator bonorum, & vindex malorum eſt DEUS, principium, & finis, circulus in centro, centrum in circumferentia ubique, finis ejus nullibi. Plura Theologia ſuppeditat.

2.

Mundum hunc totum dixerunt aliqui Philoſophi eſſe DEUM, at quia mutabilis eſt, & non totus intelligens, neque ſpiritualis, Deus eſſe nequit.

3.

Illum habuiſſe originem, & ratio & fides docet, ideóque in tempore à DEO creatum nos Moyſes docuit, & ad id credendũ fide obligavit. Quamvis Ægyptii & multæ aliæ gentes, inter illas Chinenſes, mundum aliquando creatum eſſe, per traditiones à ſuis Patribus & hiſtoriam acceperunt.

4.

Mundi nomine intelligimus Cœlum, ſive ætherem, ſtellas, Planetas, terram, aquam, aërem, ignem, lucem, mineralia, vegetabilia, animalia non verò

verò hominem ut hominem, ſuntque nominatæ partes mundi integrales harmonicè inter ſe conſentientes, & per magnum circulum rotatæ, ex orco in lucem, indéque rurſus in orcum redeuntes.

5.

Mundus totus in omnibus ſuis partibus vivit (teſtante ſanctâ Matre Eccleſia, dum in Invitatorio ſuo ad matutinum canit: *Regem cui omnia vivunt venite adoremus*) animâ â Deo creatâ, & per totum diſtributâ, quam communiter ſpiritum mundi vocitamus. Et ſicuti mundus tantum unus eſt, quamvis diverſas & plurimas in ſe contineat partes, ità etiam per omnes illas, & totum, unam tantùm habet animam, quamvis operationes varias, & apparenter contrarias edat.

6.

Spiritus mundi eſt vera ſubſtantia, in luce repræſentata, & eſt principium omnis motûs & omnium actionũ, vitam tribuens univerſo, de quo ex profeſſo parte ultima agetur.

7.

Cum igitur ille ſit vivens, ideò omnia in hoc mundo per illum vivunt, unde cœlum, ſol, ſtellæ, terra, aqua, ignis, mineralia, metalla, lapides, & varia alia vivunt, & non ſunt mortua; mortem enim non fecit Dominus.

8.

Vita autem eſt quadruplex, ſive habet gradus quatuor: *Primus gradus* eſt, ſimplicis ſubſiſtentiæ, qualem vitam habent cœlum, ſtellæ, terra, aqua, & alia ſimilia. *Secundus gradus* eſt vegetationis, in quo gradu ſunt lapides, mineralia, metalla, herbæ, arbores & alia. *Tertius gradus* eſt animalitatis, & ſenſationis, talem vitam vivunt etiam aliquæ herbæ, animalia imperfectisſima, conchæ, oſtrea, vermes multi, & etiam animalia omnia. *Quartus gradus* eſt rationalis, competit animalibus perfectisſimis, quàm maximè etiam imperfectioribus, ut infectis variis, cuilibet proportione varia, unde aliqua magis vel minus raciocinantur.

tur. Cur autem ipſis rationalitas aſſignetur, videatur Theſis 165, 166.

9.

Quartus gradus complectitur ſuperiores omnes, tertius ſecundum & primum, ſecundus primum, ſub quarto quoque homo continetur, ut eſt animal totius Univerſi, & creaturarum tam Spiritualium, quàm corporalium compendium.

10.

Homo igitur eſt ens vegetativum, animale & rationale, per quod eſt microcoſmus, & plurimos ſibi ſimiles habet microcoſmus, cum omnis beſtiola ſit microcoſmus & à brutis nõ diſtinguitur; quia vero Adamo inſpiravit Deus ſpiraculum vitæ, ſicque animam ad ſui ſimilitudinẽ creatã ipſi infudit, evexit illum ad gradũ intelligentiarum. Quare homo præter rationale habet intellectuale, per quod à brutis diſcernitur, & hinc accepit characterem dominii in omnes ſublunares creaturas: Eſt igitur homo animal Rationale Intellectivum.

 11. Quia

11.

Quia verò homo communicat cum toto univerſo, idcirco Spiritus mundi in gradu ſubſiſtentiæ vegetationis, ſenſationis, & rationalitatis in illo operatur, quam rationem anima intellectiva moderari & ipſi dominari debet, mandante DEO. Habet igitur homo duas animas, animam mundi, & animam intellectivam, contra tamen intentionem Creatoris, qui Adamum quoad vitam ſecundam, tertiam, & quartam ſolâ animâ intellectivâ conſtare volebat, & conſtarem fecit, dum illam creavit.

12.

Hæc anima meriti & demeriti capax eſt, quia ipſi ſoli lex poſita, ideoque illa ſola prœmiabitur & punietur. Interea anima mundi æternabit in illa perfectione, in qua DEUS illam poſuit. Cælo tamen Empyreo ex natura ſua Exul, ſub illo autem Rerum Domina, iram ſuam in inferno tam in ſpiritus, quàm animas damnatas exercens.

13. Dum

13.

Dum in homine diſpoſitiones pro gradu vitæ ſenſitivæ pereunt, ſeparatur anima intellectiva, & tum homo moritur, qui ſolus moritur & præterea in toto mundo nihil, ſicut nec ipſum corpus hominis, ideoque in mundo nihil mortale, quia omnia ſunt vitâ plena, ergo Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus. Dum igitur animal deſinit ratiocinari, ſentire, moveri, non moritur, ſed vita ejus ex gradu quarto & tertio in ſecundum, tandem in primum transfertur, ſic vegetabile dum putreſcit aut comburitur, in gradum vitæ primum reponitur.

14.

Anima tamen inquieta dum proportionem aliquam in partibus reſiduis vitæ primæ aut ſecundæ invenit, ſecundùm quam illam aut illam Ideam evolvere poſſit, in novam quaſi creaturam ſe explicat, ſic ex corporibus animalium, muſcæ, vermes, & alia inſecta naſcuntur, quos etiam ex lignis,

floribus, herbis, indies ex hoc fundamento naſci videmus.

15.

Si verò tantùm pro gradu vitæ ſecundo diſpoſitiones adſint, tum ex corporibus animalium plantulæ naſcuntur, ut in cranio humano usnea & oſſibus muſcus, & aliquando aliæ plantulæ. Hinc ſæpius obſervatum in cadaveribus creviſſe crines, ungues, ſudaſſe corpora, motus varios, nec dum in totum abolito gradu animalitatis apparuiſſe. Hic eſt ille ortus & interitus vulgò dictus, qui apud Philoſophos eſt circulatio ex inviſibili ad viſibile, ex tenebris ad lucem, ex luce in tenebras.

16.

Non enim cogitandum eſt, tenebras eſſe nudam carentiam lucis, ſed corpora à natura ſua compacta & adiaphana, quæ lucis lucentis radiis ſunt impervia. Quare DEUS diviſit lucem à tenebris, lucem in ſtellas, ſolem & alios planetas collocans, tenebras verò in globum terræ, terreas, aëreas & aque-

& aqueas creaturas, lux vitam ſubminiſtrat & motum activitatem, corporum, tenebræ verò ſoliditatem. Nihil enim aliud ſunt, quàm rerum principia paſſiva, Terra, Aqua, Sal, & ex his primum rerum compoſitum, ſulphur luce operante.

PARS SECUNDA.
DE RERUM PRINCIPIIS.
THESIS 17.

PRincipia rerum dicta ideò, quia ſunt omnium rerum initia,& ante omnes res, prima. Primum omnium eſt Ens Entium DEUS; ſed inter Creaturas dicit Moyſes fuiſſe *Cœlum & Terram*, quæ Deus à principio creaverat, addit tamen Abyſſum, Aquas & Spiritum Domini, qui ferebatur ſuper aquas; hæc quatuor dum dixit, duo Creata tantùm nominat, Cœlum & Terram: Quando ergò abyſſus? quando aqua creata? ſub nomine Terræ, hæc omnia comprehendit, quia ex his mundus totus educendus erat. Terra igitur non intelligenda ſimpliciter hæc, quam calcamus, ſive globus terræ, ſed Chaos omnium creaturarum futurarũ. Cœlum pro ſui Angelorumque domicilio DEUS ſupra omnes aquas libra-

bravit, illud inquam, quod eſt Empyreum.

Quia verò dein juſſit fieri firmamentum, ſeu Cœlum, in quo ſtellas, ſolem & Planetas poſuit, & quod aquas ab aquis diviſit, ſicque Cæleſtes & terrenas effecit: Tum ex cœleſtibus aquis, reliquis Principiis ſimul unitis, corpora ſtellarum compegit, partemque illarum in maria & flumina ſtellarum diviſit. Ex aquis terrenis ſublunares creaturas efformavit, reliquas in fluvios & maria diſpertitus eſt, & juſſit apparere aridam. Fecit itaque etiam pro Creaturis Cœlum, illudque ipſum nihil aliud eſt, quàm æther ſeu Expanſum à Centro Terræ usque ad Cœlum Empyreum, in quo omnia collocata, ſuſpenſa & librata ſunt corpora. Liquidus ille tenaciſſimè ſibi cohærens totus poroſus: locus inquam verus pro locatis.

18.

Eſſent ergò ſic rerum principia, Cœlum, abyſſus, Terra, Aqua & Spiritus Domini: ſed quia nihil aliud eſt

niſi æther, & expanſum, ſive locus, in quo omnes Creaturæ DEI hærent, ſtant, moventur, & quieſcunt, & ipſius expanſionis incomprehenſibilis eſt altitudo, adeoq; abyſſus, hinc Cœlum & abyſſus, non ſunt rerum principia Corpora componentia, ſed tantùm continentia.

19.

Quod intrinſecè & extrinſecè corpora ambit, penetrat, incomprehenſibilis ſubtilitatis, per quod tanquam aqua per rete, corpora tranſeunt. Spatium aut locum alium non agnoſcimus, neque imaginarium, qui circumſcriptus eſt â cerebro ſimilia cogitantium.

20.

Reſtat ergò, ut terra, Aqua & Spiritus Domini ſint rerum Elementa. Sed Spiritus Domini, quia *Domini* eſt, non eſt Creatura, ſed ipſe Creator, qui, quod per verbum creavit, per Spiritum Sanctum conſervat.

21.

Terram igitur & Aquam pro principio

cipio omnium rerum paſſivo accipimus, exindeq; omnis ſoliditas corporum eſt exorta. De his participant æquè Stellæ ac Corpora Cœleſtia, prout & terreſtria; de ſubtiliſſima Terra, & aqua, Cæleſtia; nam aquæ ſuper Cœlum elevatæ Terra quoque fuit admixta.

22.

Aquam diximus in Creatione ſub Terræ nomine comprehenſam, quia unius cum altero hærebant particulæ, antequam apparuit arida. Aſt in Aqua Maris omne ſal quoque latet, per hunc Mare ſalſum eſt, & tamen Salis Creati Moyſes æquè non meminit, neque in tota Geneſi mentionem fecit ullibi. Unde ergo illud Sal in aqua? Sanè non niſi à primaria mundi creatione, quia quid ſalem in aqua generaſſet?

23.

Quia igitur Aqua in principio ſub ſalſa creata eſt, idcirco etiam ſal concreatum eſt; & ſicut aqua eſt principium rerum, ita & ſal, hoc tamen non

purè

purè paſſivum, ſed activo-paſſivum, conſtans ſuo proprio Corpore, & luce copioſâ. Cuius domicilium eſt in ſublunaribus, in quo lux concentrata quieſcit, indeque omnes generationes originem trahunt.

24.

Aſt poſtquam Aquam & Terram creâſſet, dixit Dominus, *fiat lux; & facta eſt lux*, idquè die primo. Unde lucem pro rerum principio quis non agnoſcat? Eſt ſanè lux activum rerum Principium, & ipſa mundi anima, quæ ex natura ſua occaſionaliter calida, & naturaliter ſicca pro generationibus faciendis ex Sale & Terra generat Sulphur, principium equidem omnium rerum, ſed ſecundarium & activo-paſſivum.

25.

His poſitis quatuor rerum dicimus principia, Unum purè activum ut eſt lux, ſive anima mundi, duo purè paſſiva, Aquam & Terram, unum Activo-Paſſivum, Sal, & vinculum, per quod lux terræ & Aquæ communicatur.

tur. Quintum, cùm non ſit purum Principium, ex principiis principiantibus excluditur: quamvis ſit Ens ex quatuor ante dictis primò primum reſultans, & natum in Concavitate terræ, & in ipſo Sale.

26.

Hæc Elementa quatuor in minutiſſimas diviſa atomos eſſentialiter indiviſibiles, conſtituunt cœleſtia & terreſtria corpora: nam lux illas pro Idæis ſibi concreatis taliter ac taliter in hanc vel illam figuram, modum, ſitum, proportionem ponit, determinat, rotat, contorquet, involvit, evolvit, ut ex earum vario & incomprehenſibili ad invicem reſpectu, ſitu, proportione, tanta rerum varietas in mundo ſurrexerit, & adhuc exurgat.

27.

Non igitur vana cum Ariſtotele & aliis nobis fingamus Elementa compoſitiva, Aërem & Ignem, quæ quia ſunt corpora compoſita, & non ſimplicia, Elementorum numero meritò excluduntur.

28. Nam

28.

Nam aër nihil aliud eſt, quàm Athmoſphæra Terr-aquea, & effluvia corporum ex Terra, & ſub Terra degentium, ſive congeries corpuſculorum Terr-aqueorum, Salinorum, Sulphureorum, Metallicorum, Animalium, Vegetabilium, in Æthere, jam junctim, unde Nubes, jam disiunctim, unde Serenitas, (ſunt enim ob ſummam ſui tenuitatem Luci perviæ) natantium. Quorum Centrum eſt Univerſi, in quo magnetiſmus eſt ad quem inclinata rurſus per Circulum in terram, & ſub terram deſcendunt, definitum ſpatium in æthere aſcenſionis, aut vagationis ſuæ habentes, ultra quod aſcendere nefas, magnetiſmo terr-aquæ Centri retracta, & magnetiſmo aut Antipathia ſuperiori depulſæ.

29.

Ignis æquè non eſt Ens ſimplex: quia componitur ex luce ſcandeſcente & particulis ſulphureis, his duobus principiis conſtat Ignis, quorum uno de-

denegato non eſt amplius ignis, uti apparet, dum nihil Sulphurei Igni additur amplius, illum extingui, id eſt, lucem abire in ſe ipſam atque attenuari, ut fiat inviſibilis. Oritur Ignis & naſcitur, dum præſtò ſunt & ſibi conjunguntur principia Ignis conſtitutiva, & deficit ac perit, dum non ſunt in gradu ſufficienti & impediuntur & dividuntur. Quia verò Sulphur commune (è ſulphure primigenio natum) terreis & aqueis conſtat particulis, & hæc ignis ſunt, quis igitur non videt, Ignem non eſſe Elementum.

30.

Hæc nominata Elementa ex Atomis minimis, eſſentialiter indiviſibilibus conſtantia, ſunt ſubſtantiæ non continuæ, ſed contiguæ cohæſiones, extra illa præter DEUM, Angelos, & Animas nulla eſt ſubſtantia, ideò corpora ex Elementis compoſita conſtant quidem ſubſtantialibus particulis, unde verè ſubſtantialia, non autem ſubſtantialiter compoſita dici poſſunt,

ſunt,

ſunt, quia tantùm variis figuris & Angulis inter ſe cohærent, glutine aquoto intermedio.

31.

Hoc gluten ſupplet Imaginariam Unionem Ariſtotelis, & particulæ Elementares ſunt materia corporum, non tamen illud admirandum Chaos Ariſtotelis, tormentum inutile tantorum Ingeniorum & nuspiam à parte rerum exiſtens, *Materia prima*. *Formam* nullam admittimus aliam, quàm animam mundi, eámque Lucem, quæ glutine illo ſatis inviſcari poteſt.

32.

Quare Ariſtotelis materia prima, & formæ in ea potentialiter exiſtentes extra hunc mundum quærendæ ſunt, niſi fortè reſideant in ſpatiis Imaginariis multorum Cerebro comprehenſis.

33.

Anima mundi licèt ſit forma Univerſi, non tamen talis ac ab Ariſtotele confingitur, quia ipſi tales proprietates non competunt: hinc mundum Ariſto-

Ariſtotelico modo non informat, quia illi tantùm coëxiſtit ſeparabilis ſemper ſine interitu materiæ, quæ in æternùm ſine illa poteſt eſſe. Sic Terra, Aqua & Sal fuerunt & extiterunt antequam lux fuiſſet creata, quæ ac creata fuit, ipſis non tribuit ſubſiſtentiam, ſed coëxiſtentiâ ſuâ ſubſiſtentiam duplicavit. Hinc ut Nauclerus in navi ſedens, navim regit, ità anima mundi Corpus intrinſecè penetrans & actuans.

34.

Sunt igitur corpora tam Cœleſtia, quàm Terreſtria ex particulis ſubſtantialibus medio glutine cöadunata à Luce, ut anima mundi penetratis & ad omnem ipſius Voluntatem expeditis, naturam Lucis tamen minimè individuantibus, ſed illâ motrice in varios Circulos, gyros & motus rotabilibus.

35.

His à cauſa aliqua intrinſeca vel extrinſeca ex poſitura hâc vel illâ divulſis, rurſus à Luce alio modo commotis

11.

Quia verò homo communicat cum toto univerſo, idcirco Spiritus mundi in gradu ſubſiſtentiæ vegetationis, ſenſationis, & rationalitatis in illo operatur, quam rationem anima intellectiva moderari & ipſi dominari debet, mandante DEO. Habet igitur homo duas animas, animam mundi, & animam intellectivam, contra tamen intentionem Creatoris, qui Adamum quoad vitam ſecundam, tertiam, & quartam ſolâ animâ intellectivâ conſtare volebat, & conſtarem fecit, dum illam creavit.

12.

Hæc anima meriti & demeriti capax eſt, quia ipſi ſoli lex poſita, ideoque illa ſola prœmiabitur & punietur. Interea anima mundi æternabit in illa perfectione, in qua DEUS illam poſuit. Cælo tamen Empyreo ex natura ſua Exul, ſub illo autem Rerum Domina, iram ſuam in inferno tam in ſpiritus, quàm animas damnatas exercens.

13.

Dum in homine diſpoſitiones pro gradu vitæ ſenſitivæ pereunt, ſeparatur anima intellectiva, & tum homo moritur, qui ſolus moritur & præterea in toto mundo nihil, ſicut nec ipſum corpus hominis, ideoque in mundo nihil mortale, quia omnia ſunt vitâ plena, ergo Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus. Dum igitur animal deſinit ratiocinari, ſentire, moveri, non moritur, ſed vita ejus ex gradu quarto & tertio in ſecundum, tandem in primum transfertur, ſic vegetabile dum putreſcit aut comburitur, in gradum vitæ primum reponitur.

14.

Anima tamen inquieta dum proportionem aliquam in partibus reſiduis vitæ primæ aut ſecundæ invenit, ſecundùm quam illam aut illam Ideam evolvere poſſit, in novam quaſi creaturam ſe explicat, ſic ex corporibus animalium, muſcæ, vermes, & alia inſecta naſcuntur, quos etiam ex lignis,

floribus, herbis, indies ex hoc fundamento naſci videmus.

15.

Si verò tantùm pro gradu vitæ ſecundo diſpoſitiones adſint, tum ex corporibus animalium plantulæ naſcuntur, ut in cranio humano usnea & oſſibus muſcus, & aliquando aliæ plantulæ. Hinc ſæpius obſervatum in cadaveribus creviſſe crines, ungues, ſudaſſe corpora, motus varios, nec dum in totum abolito gradu animalitatis apparuiſſe. Hic eſt ille ortus & interitus vulgò dictus, qui apud Philoſophos eſt circulatio ex inviſibili ad viſibile, ex tenebris ad lucem, ex luce in tenebras.

16.

Non enim cogitandum eſt, tenebras eſſe nudam carentiam lucis, ſed corpora à natura ſua compacta & adiaphana, quæ lucis lucentis radiis ſunt impervia. Quare DEUS diviſit lucem à tenebris, lucem in ſtellas, ſolem & alios planetas collocans, tenebras verò in globum terræ, terreas, aëreas & aque-

& aqueas creaturas, lux vitam ſubminiſtrat & motum activitatem, corporum, tenebræ verò ſoliditatem. Nihil enim aliud ſunt, quàm rerum principia paſſiva, Terra, Aqua, Sal, & ex his primum rerum compoſitum, ſulphur luce operante.

PARS SECUNDA.

DE RERUM PRINCIPIIS.

THESIS 17.

PRincipia rerum dicta ideò, quia ſunt omnium rerum initia,& ante omnes res, prima. Primum omnium eſt Ens Entium DEUS ; ſed inter Creaturas dicit Moyſes fuiſſe *Cœlum & Terram*, quæ Deus à principio creaverat, addit tamen Abyſſum, Aquas & Spiritum Domini, qui ferebatur ſuper aquas; hæc quatuor dum dixit, duo Creata tantùm nominat, Cœlum & Terram : Quando ergò abyſſus? quando aqua creata? ſub nomine Terræ, hæc omnia comprehendit, quia ex his mundus totus educendus erat. Terra igitur non intelligenda ſimpliciter hæc, quam calcamus, ſive globus terræ, ſed Chaos omnium creaturarum futurarũ. Cœlum pro ſui Angelorumque domicilio DEUS ſupra omnes aquas libra-

bravit, illud inquam, quod eſt Empyreum.

Quia verò dein juſſit fieri firmamentum, ſeu Cœlum, in quo ſtellas, ſolem & Planetas poſuit, & quod aquas ab aquis diviſit, ſicque Cæleſtes & terrenas effecit: Tum ex cœleſtibus aquis, reliquis Principiis ſimul unitis, corpora ſtellarum compegit, partemque illarum in maria & flumina ſtellarum diviſit. Ex aquis terrenis ſublunares creaturas efformavit, reliquas in fluvios & maria diſpertitus eſt, & juſſit apparere aridam. Fecit itaque etiam pro Creaturis Cœlum, illudque ipſum nihil aliud eſt, quàm æther ſeu Expanſum à Centro Terræ usque ad Cœlum Empyreum, in quo omnia collocata, ſuſpenſa & librata ſunt corpora. Liquidus ille tenaciſſimè ſibi cohærens totus poroſus: locus inquam verus pro locatis.

18.

Eſſent ergò ſic rerum principia, Cœlum, abyſſus, Terra, Aqua & Spiritus Domini: ſed quia nihil aliud eſt

niſi æther, & expanſum, ſive locus, in quo omnes Creaturæ DEI hærent, ſtant, moventur, & quieſcunt, & ipſius expanſionis incomprehenſibilis eſt altitudo, adeoq; abyſſus, hinc Cœlum & abyſſus, non ſunt rerum principia Corpora componentia, ſed tantùm continentia.

19.

Quod intrinſecè & extrinſecè corpora ambit, penetrat, incomprehenſibilis ſubtilitatis, per quod tanquam aqua per rete, corpora tranſeunt. Spatium aut locum alium non agnoſcimus, neque imaginarium, qui circumſcriptus eſt à cerebro ſimilia cogitantium.

20.

Reſtat ergò, ut terra, Aqua & Spiritus Domini ſint rerum Elementa. Sed Spiritus Domini, quia *Domini* eſt, non eſt Creatura, ſed ipſe Creator, qui, quod per verbum creavit, per Spiritum Sanctum conſervat.

21.

Terram igitur & Aquam pro principio

cipio omnium rerum paſſivo accipimus, exindeq; omnis ſoliditas corporum eſt exorta. De his participant æquè Stellæ ac Corpora Cœleſtia, prout & terreſtria; de ſubtiliſſima Terra, & aqua, Cæleſtia; nam aquæ ſuper Cœlum elevatæ Terra quoque fuit admixta.

22.

Aquam diximus in Creatione ſub Terræ nomine comprehenſam, quia unius cum altero hærebant particulæ, antequam apparuit arida. Aſt in Aqua Maris omne ſal quoque latet, per hunc Mare ſalſum eſt, & tamen Salis Creati Moyſes æquè non meminit, neque in tota Geneſi mentionem fecit ullibi. Unde ergo illud Sal in aqua? Sanè non niſi à primaria mundi creatione, quia quid ſalem in aqua generaſſet?

23.

Quia igitur Aqua in principio fuit ſalſa creata eſt, idcirco etiam ſal concreatum eſt; & ſicut aqua eſt principium rerum, ita & ſal, hoc tamen non

purè

purè paſſivum, ſed activo-paſſivum, conſtans ſuo proprio Corpore, & luce copioſâ. Cuius domicilium eſt in ſublunaribus, in quo lux concentrata quieſcit, indeque omnes generationes originem trahunt.

24.

Aſt poſtquam Aquam & Terram creâſſet, dixit Dominus, *fiat lux; & facta eſt lux*, idquè die primo. Unde lucem pro rerum principio quis non agnoſcat? Eſt ſanè lux activum rerum Principium, & ipſa mundi anima, quæ ex natura ſua occaſionaliter calida, & naturaliter ſicca pro generationibus faciendis ex Sale & Terra generat Sulphur, principium equidem omnium rerum, ſed ſecundarium & activo-paſſivum.

25.

His poſitis quatuor rerum dicimus principia, Unum purè activum ut eſt lux, ſive anima mundi, duo purè paſſiva, Aquam & Terram, unum Activo-Paſſivum, Sal, & vinculum, per quod lux terræ & Aquæ communicatur,

tur. Quintum, cùm non ſit purum Principium, ex principiis principiantibus excluditur: quamvis ſit Ens ex quatuor ante dictis primò primum reſultans, & natum in Concavitate terræ, & in ipſo Sale.

26.

Hæc Elementa quatuor in minutiſſimas diviſa atomos eſſentialiter indiviſibiles, conſtituunt cœleſtia & terreſtria corpora: nam lux illas pro Ideis ſibi concreatis taliter ac taliter in hanc vel illam figuram, modum, ſitum, proportionem ponit, determinat, rotat, contorquet, involvit, evolvit, ut ex earum vario & incomprehenſibili ad invicem reſpectu, ſitu, proportione, tanta rerum varietas in mundo ſurrexerit, & adhuc exurgat.

27.

Non igitur vana cum Ariſtotele & aliis nobis fingamus Elementa compoſitiva, Aërem & Ignem, quæ quia ſunt corpora compoſita, & non ſimplicia, Elementorum numero meritò excluduntur.

28. Nam

28.

Nam aër nihil aliud eſt, quàm Athmoſphæra Terr-aquea, & effluvia corporum ex Terra, & ſub Terra degentium, ſive congeries corpuſculorum Terr-aqueorum, Salinorum, Sulphureorum, Metallicorum, Animalium, Vegetabilium, in Æthere, jam junctim, unde Nubes, jam disiunctim, unde Serenitas, (ſunt enim ob ſummam ſui tenuitatem Luci perviæ) natantium. Quorum Centrum eſt Univerſi, in quo magnetiſmus eſt ad quem inclinata rurſus per Circulum in terram, & ſub terram deſcendunt, definitum ſpatium in æthere aſcenſionis, aut vagationis ſuæ habentes, ultra quod aſcendere nefas, magnetiſmo terr-aquæ Centri retracta, & magnetiſmo aut Antipathia ſuperiori depulſæ.

29.

Ignis æquè non eſt Ens ſimplex: quia componitur ex luce ſcandeſcente & particulis ſulphureis, his duobus principiis conſtat ignis, quorum uno de-

denegato non eſt amplius ignis, uti apparet, dum nihil Sulphurei Igni additur amplius, illum extingui, id eſt, lucem abire in ſe ipſam atque attenuari, ut fiat inviſibilis. Oritur Ignis & naſcitur, dum præſtò ſunt & ſibi conjunguntur principia Ignis conſtitutiva, & deficit ac perit, dum non ſunt in gradu ſufficienti & impediuntur & dividuntur. Quia verò Sulphur commune (è ſulphure primigenio natum) terreis & aqueis conſtat particulis, & hæc ignis ſunt, quis igitur non videt, Ignem non eſſe Elementum.

30.

Hæc nominata Elementa ex Atomis minimis, eſſentialiter indiviſibilibus conſtantia, ſunt ſubſtantiæ non continuæ, ſed contiguæ cohæſiones, extra illa præter DEUM, Angelos, & Animas nulla eſt ſubſtantia, ideò corpora ex Elementis compoſita conſtant quidem ſubſtantialibus particulis, unde verè ſubſtantialia, non autem ſubſtantialiter compoſita dici poſſunt,

ſunt, quia tantùm variis figuris & Angulis inter ſe cohærent, glutine aquoſo intermedio.

31.

Hoc gluten ſupplet Imaginariam Unionem Ariſtotelis, & particulæ Elementares ſunt materia corporum, non tamen illud admirandum Chaos Ariſtotelis, tormentum inutile tantorum Ingeniorum & nuſpiam à parte rerum exiſtens, *Materia prima*. *Formam* nullam admittimus aliam, quàm animam mundi, eámque Lucem, quæ glutine illo ſatis inviſcari poteſt.

32.

Quare Ariſtotelis materia prima, & formæ in ea potentialiter exiſtentes extra hunc mundum quærendæ ſunt, niſi fortè reſideant in ſpatiis Imaginariis multorum Cerebro comprehenſis.

33.

Anima mundi licèt ſit forma Univerſi, non tamen talis ac ab Ariſtotele confingitur, quia ipſi tales proprietates non competunt: hinc mundum

Ariſto-

Ariſtotelico modo non informat,quia illi tantùm coëxiſtit ſeparabilis ſemper ſine interitu materiæ, quæ in æternùm ſine illa poteſt eſſe. Sic Terra, Aqua & Sal fuerunt & extiterunt antequam lux fuiſſet creata, quæ ac creata fuit, ipſis non tribuit ſubſiſtentiam, ſed coëxiſtentiâ ſuâ ſubſiſtentiam duplicavit. Hinc ut Nauclerus in navi ſedens, navim regit, ità anima mundi Corpus intrinſecè penetrans & actuans.

34.

Sunt igitur corpora tam Cœleſtia, quàm Terreſtria ex particulis ſubſtantialibus medio glutine cöadunata à Luce, ùt anima mundi penetratis & ad omnem ipſius Voluntatem expeditis, naturam Lucis tamen minimè individuantibus, ſed illâ motrice in varios Circulos, gyros & motus rotabilibus.

35.

His à cauſa aliqua intrinſeca vel extrinſeca ex poſitura hâc vel illâ divulſis, rurſus à Luce alio modo commotis

motis & diſpoſitis, pro toto vel parte aſſumptis naſcitur aliud Corpus, Ens, aut Compoſitum.

36.

Quapropter nulla datur Generatio nova ſubſtantialis. Sic dum homo quoad Corpus aut animal naſcitur omnia jam præexſtiterunt ſed in alia figura, ſub cujus Ideæ videlicet imperio hærebant, ſic dum ignis comburit lignum, non generatur ibi nova forma Ignis, ſed particulæ ſulphureæ & ſalinæ ab Igne extrinſeco vel motu aliquo à Terreis, & aqueis ſeparatæ fluorem id eſt conjunctisſimè ad invicem excluſis aliis particulis coexiſtentiam ſortiuntur, & Ignem applicatum nutriunt & augmentant, in quibus præexiſtens Lux mox Characterem talem ab Igne impreſſum concipit, & fit cum ſulphure Ignis.

37.

Pari modo Caro bovina, aut alia, aut quæcunque herba aut fructus comeſta ab homine, aut alio Animali non transformantur in formam hominis

minis cum deperditione formæ antiquæ, quia ſimiles formæ non dantur in rerum Natura. Sed particulæ bovinæ taliter & taliter configuratæ tali & tali proportione inter ſe diſpoſitæ, poſtquam in ventriculum v. g. hominis pervenerunt, ibi in talem poſituram & proportionem ponuntur à fermento ventriculi, quæ ſcilicet requiritur ad Corporis humani conſtitutionem, ſic inde jam non Caro bovis, ſed hominis fieri & generari debebit Lux, quæ eadem eſt cum illa, quæ eſt in homine partim hæret in Æthere & excrementis ejectis in puro gradu ſuæ ſubſiſtentiæ, partim Lucis inſitæ particulas evaporatas reſarcit.

38.

Hinc apparet, quòd tantùm quatuor generibus particularum, utpote Terrearum, Aquearum, Salinarum, & Sulphurearum, tanquam primo ex prioribus tribus compoſitorum, Luceq; illas pro Jdearum ſuarum Evolutione variè & variè compingente in quadrata triangularia Hexagona, in-

finitisq;

finitiſque aliis regularibus & irregularibus figuris volvente ſituante conglutina &c. omnia mundi corpora ſint conſtituta unde accidentaliter à ſe diſtingvuntur, non autem ſubſtantialiter, ſicut communis fert opinio.

39.

Non tamen particulæ illæ ſunt accidentia, quamvis ipſis ſit accidens, quòd cum hac vel illa particula conjungantur taliter aut taliter: Nulla enim ſunt alias in Mundo accidentia, præter proportionem & ſitum, & figuram Mathematicam: quia quod communiter dicitur Accidens aut Qualitas, ſunt meræ particulæ ſubſtantificæ.

40.

Unde color, albedo, nigredo, rubedo, frigus, calor, humiditas, ſiccitas, & ſimilia, in ſe non ſunt accidentia, quamvis corporibus accidentaliter adeſſe & abeſſe poſſint, ſic calor eſt Ignis tenuiſſimè diviſus ſubintrans poros alterius corporis. Frigus eſt corpus ætheris naturaliter con-

conſtitutum, poros corporum penetrans & illis coëxiſtens. Color eſt Lucis refractio taliter & taliter conſtitutis corporum particulis, ex quarum variis angulis jam Lux abſorbetur, & fit niger color, jam reflectitur & fit albus color, & ſic de cæteris.

41.

Ex hactenus dictis colligere eſt, quàm facilè explicari poſſit Continuum illud, quod tot Ingenia torſit, ut nec ampliùs de punctis nec partibus diſputari neceſſe ſit. Nam particulæ corporum nunquam ſibi vicinè conjunguntur, quin non relinquant cavitatem aut porum, in quo Æther hæreat: hinc non Cœlum, Sal, nec Stellæ, nec Saxa, nec Metalla, nec Vitra, nec ligna, herbæ, animalia ſunt ſinè poris. Nihil igitur eſt in Mundo continuum, ſed tantùm contiguum;

tiguum; facilè jam penetrationem Corporum Naturalium capiemus, quia naturaliter in poris unius corporis alia Corpora hærere, perq; poros tranſire poſſunt & ex eis deduci.

42.

Particulæ autem illæ principiantes & conſtituentes corpora, ſintne puncta aut partes in infinitum indiviſibiles quæritur, & neutrum eſſe dico, ſed eſſe particulas minimas eſſentialiter indiviſibiles.

43.

Per hoc Infinitorum Variorum Doctrinam tollimus, tanquam infinitè errantem.

PARS

PARS TERTIA.

Tractans in ſpecie de Cœlo, & quæ in Cœlo ac ſub Cœlo ſunt, & fiunt, usq; ad terræ ſuperficiem.

44.

LUcem creatam eſſe qui Chriſtianus eſt, nemo non concedet Moyſi, hanc videmus, per hanc videmus, hæc ſunt illæ ſpecies viſivæ, quas corpora in oculum noſtrum emittunt, & oculo nobis primùm, dein in animam corpora, prout ſunt, repræſentant, ſed quid ſit neſcimus, alii dicunt eſſe ſubſtantiam, alii qualitatem, alii aliud ens. Sic errantium plures, una vero tantum via veritatis,

45.

Nos illam dicimus eſſe ſubſtantiam Animam, & vitam Mundi,

& omniũ rerum ſubtililiſſimi quatenus poteſt eſſe, Corporis, in partes, demum in atomos indiviſibiles diviſibilem, cujus quælibet particula vivit & ſentit, & ratiocinatur radiativè, id eſt in potentia, Idæis ſive rerum Imaginibus refertiſſima, ità, ut in qualibet particula tot ſint, & infinitæ quaſi Ideæ & rerum imagines ac ſcientiæ, quo ſunt in toto, ità ut quælibet particula poſſit operari id, quod poteſt totum ſana creatura Corporea fumi ſpiritualem naturam nacta.

46.

Hæc movet Solem, Stellas, Planetas, Cometas, & terram ſuo modo in Æthere, hæc lapides & plantas vegetari, nutriri, hæc animalia vegetari, nutriri, ſentire, diſcurrere pedibus & animo facit, imago aut ſimilitudo Corporea increatæ lucis Dei, ter optimi maximi,

ximi, cujus anima hominis eſt ſpiritualis imago. Hinc Deus Pater luminum, id eſt animarum humanarum vocatur. Angeli boni, ſi non imago, ſaltem ſimilitudo increatæ lucis erunt, cujus diſſimilitudo maximè & abyſſus ſunt, dæmones ac animæ damnatorum.

47.

Lux ex ſua natura viſibilis, inviſibilis fieri poteſt, dum multum rarefacta, in aliquem locum lucis compingitur, lucet, quo plus eò potentius, ſi nimirum in ſulphureas particulas incendit, in quibus ob eorum viſcoſitatem, ſe magis & magis intricat, atque iram in ſe ipſam concipit, & furibunda in flammam erumpit, in remiſſo gradu calefacit, & hoc intelligendum de luce modicum ex candeſcente, aliàs tantùm in corpora lucet, ſi ſint corpora diaphana, vel

quieſcit, vel motum aliquem exiguum facit, vel movet, calefacit, diſcurrit, pro diſpoſitione apta in operationes has & illas exercendas. Unde conijciendum, incendium nihil eſſe aliud, quàm intenſiſſimam lucem miſceri,& intricari particulis ſulphureis, unde ſe extricare non potens totum compoſitum ab invicem diſſolvit, ſalis particulas conjungendo,& acutiſſimas reddendo, quæ dolorem pariunt, corrodunt, adurunt, ſulphuris particulæ fluorem concipiunt,atque in illis lux copioſè abſcondita evolvitur, & lucem augmentat,unde quo plures particulæ ſulphureæ adduntur,eo plùs lucis inde evolvitur, quæ luci priori addita, eam augmentat, unàq; in reſolutionem vicini corporis procedunt, Aqueas particulas, cum aliquibus ſulphureis, & ſalino in illo tumul-

tumultu in auram pellendo, terreas cum aliquibus ſalinis, paucisq; irreſolutis ſulphureis ad fundum demandando. Nam in illo veloci motu omnes Salinas particulas in auram pellere nequit quin aliquæ terreis ſe immiſceant, neq; Sulphureæ in tam veloci motu reſolvi poſſunt, quin à Salinis præcipitatæ unà cui ijsdem & terreis Carbonem conſtituant.

48.

Hinc, quo plus lucis in corporibus incluſum eſt, eò corpora ſunt agiliora, vivaciora, fortiora, animalia magis vel minus diſcurrunt, pro ejusdem paucitate, vel copia; ê contra aliqua torpida, tarda, ſtupidà, ingenioſa alia, velocia.

49.

Poſt animalia nullibi plus lucis invenire eſt compactæ, quàm in

Metallis, quorum Mercurius ſplendore ſuo illam manifeſtat, ſed quam maximè in auro, ubi lux tam copioſa eſt, & quidem ſubtiliſſimo ſulphure & ſale ac terra, unà cum aquea viſcoſitate invicem temperatis, inviſcata eſt, foras prorumpere cupiens, ut ſolo aſpectu ſolem cœleſtem imitetur, animam corporis humani ſenſitivam confortet & recreet. Quid igitur ſi compages Corporis totius ita diſponatur per artem, ut particulæ auri poſſint ſe corporis humani particulis miſcere, & ſic lux luci obviet, & deperditam ex corpore reſtauret, & corroboret, ad vegetatiorem motum faciendum, excrementiſque expurgatis, ſperabimus, qualis illa ſit Medicina.

50.

Inter plantas & vegetabilia copioſam Lucem habet quoque vitis,

tis, maximè ſuccus botri ipſius, in quo cum aqueis particulis ſulphure ſubtiliſſimo veſtita Lux mixta odore ſuo cor & animam hominis ſenſitivam confortat, & recreat, aſt magis ſi liquor depuratus, maturatus, ſubtiliatus, ſe corpori humano permiſceat & introſumatur, tum quaſi novam vitam quis accepiſſe videtur, ſumméq; recreatur, & confortatur, calidum innatum, & primigenium humidum.

51.

Calidum hoc non eſt aliud niſi lux, quæ per alimenta aſſumpta, ſe luci inſitæ, ſeu animæ in corpore habitanti unit, illam augmentat, partes ipſius deperditas reſtaurat, ſiquidem ob rarã texturam Corporis, per poros multæ particulæ animæ deperunt, quæ ex anima in alimentis exiſtente reſtituuntur,

quamprimum enim lucis alimentorum particulæ advenæ, luci inſitæ conjunguntur, mox charactere animalitatis donantur.

52.

De Cœlo.

COelum creaturarum terreſtrium: aquearum eſſe locum, & expanſum à Centro terræ, usq; ad Cœlum Empyreum jam dictũ ſupra. Diſcinditur in duas partes, Pars prima eſt contigua terræ, & in Terra & in Corporibus ejusdem, & in eadem permanentium, in qua Athomoſphæra terraquea natat.

Secunda debetur Lunæ, Stellis Soli & ſimilibus, jam videre eſt, ubi S. Paulus fuit, dum raptus eſt in tertium Cœlum, illud neceſſè erat non aliud niſi Empyreum, S. Beatorum.

53. Ex

53.

Ex qua Materia conſtet, Deus novit, certum eſt non ex principiantibus aliarum rerum particulis, eſt tamen ſubtiliſſimum Corpus, quod Corpora velut cribrum permeat, immobilis ſemper, neq; cum corpore mutat locum, ſed Corpus dum vadit ex parte, ætheriſat, & tranſit in partem B, tranſit per Ætherem ipſo manente immobili. Suis tamen conſtat poris, in quibus Lux & influentiæ habitant tenaciſſimè ad invicem junctis.

54.

Solidus etiam in ſui parte nullibi eſt, Jdeo nullum datur Cœlum ſolidum, ſed totum fluidum, luce ſua anima mundi totus penetratus, per quem influentiæ cœleſtes in Corpora deſcendunt, quæ nihil aliud ſunt, quàm ſubtiliſſima

Stellarum effluvia, & atomi luce media corporibus inferioribus communicata. Si quis tamen ſolidum diceret & ſphæricum, ille in ſolſtitiis breviores horas admittetere deberet, quàm in Æquinoctiis, quia Circuli Tropici ſunt minores Æquatores, & tamen quilibet ſecatur in 24. Partes, neceſſe igitur, partes minoris circuli, 24. minores eſſe partibus majoris circuli, ideoq; & ſpatia horaria, & horas, meliùs conſulunt ſibi illi, qui ovale Cœlum fingunt, & Tropicorum circulos æquales Æquatori faciunt, nos ſimilibus figmentis non indigemus.

55.

Ne lux intenſa, & aliquando in ſcandeſcentiam verſa corrumpat omnes Creaturas, particulas earum diſſipando, poſuit ipſi Deus temperamentum, videlicet firma men-

mentum, ſeu Cœlum aut Ætherem frigidiſſimum, ſicciſſimumq; creando; in quo lux habitans tenuiſſimo Corpore illum non calefacit, ſed ſibi ipſi relictus, frigore corpora omnia conſtringit, & lucem magis ac magis attenuat, unde ſibi lucem ſcandeſcentē apponimus, quâ cum frigidis particulis mixtâ temperatum nobis calorem conciliamus in Hyeme.

56.

Non tamen frigus in æthere ideò ceſſat, ſed manet frigus ut ante, in cujus poris habitant ignis calefacientes particulæ, aut illo abſente ſolis, ſtellarumq; ut dictum. Utriſque abſentibus ingens & enecans frigus, lucem inſitam, corporum per poros ſenſim & ſenſim conſtrictos attenuat, & unà cum vita expellit foras.

57.

Quod ſi ſimul & ſemel poros corporis animalis conſtringat, ut nulla via lux expelli poſſit, manent ſimilia animantia ab extra frigida, intus vivunt vitâ debili, poris calore reſeratis rurſus in plenam vitam ſuſcitantur. Hoc evenit hominibus ſub Borea in Moſcoviæ quibuſdam partibus, hoc hirundinibus, Muſcis, & aliis animantibus.

58.

Sicciſſimum nominavimus Ætherem, ob quam qualitatem, ſonorum omnium productor eſt. Nam cum corpore aliquo Particulæ Atmoſphericæ violentur, in gyrum contorquentur, vel alio modo propelluntur, pori Ætheris non ſunt ſufficientes recipiendis tot particulis, unde dilatantur; demum rumpuntur ab invicem,

cum

cum fragore & ſono, ſic vento flante, pulſæ aëreæ particulæ in anguſtum foramen compinguntur, & poros divellunt ſenſim & ſenſim, non tamen rumpunt (ſeparando partes à partibus) unde ille Sibilus, ac fiſtularum ſonus,

59.

Pari modo dum Æs, ferrum, & durum Corpus pulſatur, illiſæ ad Corpus motu mallei, vel corporis ſolidi extrinſeci particulæ aëris poros Ætheris divellunt, hinc fragor per poros Metalli diſtributus ſonum dat talem ac talem, pro magnitudine & craſſitie, atque denſitate Corporis pulſati, ex hoc acutus, obtuſus, longus, gravis, baſſus, altus ſonus haberi poteſt.

60.

Voces animalium formantur in laringis Rimulâ, in qua Æther ut

& in

& in ore pro paucitate, vel copia aëris ex pulmonibus expreſſi magis vel minus divellitur, & hinc alius & alius fit ſonus, qui linguâ articulatur.

61.

Productus ita ſonus per particulas æthereas, quamdiu impulſus durat, cōtinuatur, & in auriculã animaliũ ſubintrãs æthere, in auricula concluſum, criſpat in ſimiles figuras, quas in principio productionis accepit, quam criſpaturam ſentiens anima cognoſcit ſonum talem & talem.

62.

De Aëre.

MEntio aëris ſæpius facta, jamq; aliqua inſinuatio facta, plenius, de illo loqui perſuadet; eſt igitur ille, uti jam antea dictum, Atmoſphæra, ſeu congeries effluvitiorum variorum, minutiſſimarum-

marumq; particularum terræ, aquæ, ſalis, ſulphuris etiam atomorum corporum ex his compoſitorum, Metallicorum, vegetabilium, & animalium. Hæc omnia variè confuſa per multa milliaria aſcendunt in altum, & quo altiùs aſcendunt magis & magis â frigore Ætheris alterantur, atque ab invicem quæ adhuc compoſitorum ſuorum habuerunt aliquā proportionem ultimo diſuniuntur, & in puriſſimas principiantes particulas ſeparantur. Unde quo altiùs aſcenditur ſubtilor aër, ultimò tandem nullus, ubi nullum animal vivere poteſt, ex rationibus jam dicendis.

63.

Hæc congeries aerea non continua, nec contigua per motum lucis & ſiderum impulſum, ſub forma pluviæ nivium, grandinis, ful-

fulminis, fulguris, ventorum, Terræ & aquæ redditur, rurſusque ſub alia forma aſcendit pulſa vel à vaporibus ſubterraneis, vel ab impulſu ſiderum, vel exſpiratione animalium, poſt iterum deſcendit in fines à Deo creatos, potiſſimum in nutritione, & conſervatione omnium corporum ſublunarium.

64.

Corpuſculis igitur cum conſtet aër, quæ naturâ ſuâ centrum terræ petunt, non eſt levis, niſi in quantum rarior eſt corpore compacto, qui aër manens Diaphanus, ità compingi poteſt per machinam, ut aquam, & pondera ſuſtentet.

65.

Dixi in ſubtiliſſimo aëre nullum animal vivere poſſe, & tamen hic ad vitam animalis non eſt neceſſarius, quia infans vivit in utero ſine aëre, cui acceſſus per nullam

viam

viam patet ad pulmones infantis, ſed excluſo fœtu, aër ambiens thoracem & pulmones infantis comprimit, ſua gravitate, unde partes variæ, utpote inteſtinorum, Diaphragmatis, hepatis, lienis, pancreatis ſeorſum pelluntur, & ſe invicem comprimunt, quem ſitum natura tollerare nolens, conatur reducere partes nominatas ad locum, & ſitum naturalem, per hoc primo pulmo dilatatur & thorax, quare copioſius inſorbetur aër, & ambiens thoracem aër pellitur, qui retruſus vicina mole gravante particularum aërearum thoracem comprimit, & rurſus inſorbtum aërem expellit, ſique fit exſpiratio, primum ſequitur inſpiratio, ita hæ duæ alternantur, qumdiù animal vivit.

66.

Sine quo extra uterum vivere

non

non poteſt, quia eſt neceſſarius ad conſervandam lucem inſitam, in puritate ſua difflando ſordes ex alimentis reſiduis, ſubtiliſſimas fuligines â Medicis vocatas, & quia aëris particulis non minus nutritur corpus, ac per os aſſumptis alimentis.

67.

Utilis eſt animalibus, quia ſine illo nullam vocem edere poſſent. His tribus de cauſis anima extra aërem vivere nequit, nec in aëre ſubtiliori, quia ille non potens premere thoracem, conſequenter fuligines & aërem in cavitate Thoracis contentum expellere circulationem ſanguinis in corde reſtaurare & quieſcere faceret, hinc mox in grumos ſanguinis abiret, & particulæ ſanguinis aliam proportionem ad invicem nactæ animalitatis gradum in ſenſitiva depri-

primerent, unde mors vulgaris & vita tertij quartique gradus abolita.

68.

Cœtera, quæ de aëre per experimenta varia habentur Ætheri ſunt approprianda, & in illo verificabuntur, non autem in aëre.

69.

Stellas jam examinare volumus, & dicimus eſſe corpora globoſa Diaphana & Cryſtallina, ex aqua & terra ⊖ & ♁. ſubtiliſſimis ut eſſent Diaphana per firmamentum ſeparatis conſtantia, luce copioſiſſima donata, unde copioſiſſimos in terram vibrant radios, Montes, fluvios, Maria, valles, fors & ſui generis herbas, & arbores & animalia habentia.

70.

In quibus Deus poſuit varia fermenta, ſeu virtutes & proportio-

tiones particularum, per quas lux hoſpitans, ad hanc vel illam Idæã cogitur, unde huic ſtellæ illa vel illa ſtella competit, ſiccandi, calefaciendi, humectandi, frigefaciendĩ, venena edendi, herbas, mineralia animalia luce actuante, ſic determinata generandi, pluvias, ventos, ut &fulmina, & alia Meteora cauſandi.

71.

De Sole.

SOl lucis creatæ, ac animæ mundi in genere lucis ſpecificè ſedes ac thronus eſt. Non aliter ac cor in animalibus, unde in omnes creaturas ſublunares vitæ & caloris copia derivatur, hic ſuos radios in terram quò perpendicularius eò copioſiùs evibrans minores vel majores operationes exercet.

72.

Calidiſſimus tamen non eſt neq; calidus

calidus, licet intenſiſſimam lucem contineat, ſed radij ipſius in Atmoſphæram Terraqueam impingentes in motum concitati calorem producunt ut per Vitra Uſtaria Ignem radijs quam plurimis in unum coadunatis. Nam fermentatio edit calorem, id eſt Lucem in ſe intricatam & ſcandeſcentem. Uti videmus motu omnia etiam frigida incaleſcere & ex Ungula glaciei allisa Ignem exſilire.

73.

Motum ſuum proprium habet ac Stellæ cæterique Planetæ, quem intra Anuum 365. Dierum 6. præter propter horarum ſpatio in circulo proprio abſolvit. Sol, Luna ut & Stellæ non moventur ab Angelis, quia hoc onus ſervile eſſet illis & miſeri quaſi Aſini ad molam alligati eſſent, adeoq; Blaſphemia

phemia eſt inS. Angelos, ſed à Luce in quolibet globo concentrata quæ ſecundum fines & terminos à Deo conſtitutos ſuum continens corpus girat circa centrum ſibi à Deo aſſignatum. Si lucem animam mundi mecum eſſe concedis, res caret difficultate, ſi negas, attamen Animam Mundi in Luce hoſpitantem agnoſcas, tum ab Anima Mundi ſidera moveri ſi dicas, quivis facilè capiet. Hæc enim omnia inſinuata facilè movebit quo & quomodò ſibi à Deo eſt injunctum.

74.

Ut terra ſuam habet athmoſphæram, ſic etiam quilibet globus cœleſtis, quorum alii magis ſulphureis, aliæ aqueis, aliæ ſalinis aliæ terreis, jam his jam illis prædominantibus conſtant particulis, ſimilemque atmoſphæram circum-

cumfuſam ad milliaria multa circumferunt; Unde Luna frigidiſſima & humidiſſima, Mars contra calidiſſimus, & ſicciſſimus, in quo ſanè ſi quis purgatorium, aut infernum ſtatueret, non volo cum illo decertare. Venus Jupiter humidi & calidi, ſol temperatiſſimus, Saturnus frigidus & ſiccus, Mercurius humidus jam, ſiccus poſtea, calidus & frigidus per vices. Hæc dicta ſunt de potentialiter non actualiter exiſtentibus qualitatibus.

75.

Horum ſeptem planetarum Naturam, & proportionem particularum (hæc enim eſt natura, & non eſt alia, quæ quid ſit neſcitur, & tamen clamatur Natura Natura) ſtellæ fixæ omnes ſequuntur, unde ex variis conjunctionibus, aſpectibus, varii jam remiſſii, jam

intenſi ſequuntur qualitatum ef-ſectus.

76.

Ex his cauſis evenit, ut dum ſe mutuo Planetæ aut Stellæ diverſo aſpectu aſpiciunt, athmoſphæræ ad invicem concurrant, ex quarum concurſu fit commotio, & fermentatio, quaſi pugna aliqua agant invicem, & reagant, donec præcipitata confertiſſimè ruant ſimul deorſum, & athmoſphæram terr-aqueam concitant, ſicque venti naſcuntur tam benè cardinales ac ordinari & conſueti, quàm extraordinarii turbines, qui durant tam diu, quam diu athmoſphæræ ſimiles ſibi invicem commiſcentur, & Stellæ & Planetæ non recedant, Typus eſt infuſio olei Tartari in aquam fortem. Non tamen negaverim ex terra & aqua vi lucis in Centro terræ fu-

furentis copiâ particulam poſſe ſubminiſtrari, unde athmoſphæra ventos conficiat, ſed hi ſunt extraordinarii ſemper.

77.
De Fulmine.

SI verò particulæ præcipitatæ ex cœleſtibus corporibus plurimum ſulphuris ſecum vehant, tum illæ in athmoſphæra terreſtri incenſæ ob calorem magnum fulgura concitant. Si verò & hæ contrarias particulas in athmoſphærâ deprehendant, fermentatione ingenti concitata, æthera propter intenſivam violentiam dilacerant, unde fragor admirabilis oritur, prout de æthere inſinuatum (& tum cum illo impulſu flamma in ſulphureis particulis oborta, quaſi priùs in terram decidat, & incendit, ſi materiam capacem inveniat.

78.

Taliter generatur fulmen, quod aliquando ſine cuneo, aliquando cum cuneo operatur, & ſi poſteriori modo, tum ſignum eſt ſpiritum, id eſt proportionem particularum Idæâ lapidificâ ſeu fermento veſtitarum lapidificum, qui ex viſceribus terræ in aëra evolavit, particulas lapidificabiles invenientem in momento lapidem confingere, qui ſuſtentatus, viſcoſitatem nubium, dum fulmen æthera perrumpit, à particulis fulmineis ſimul in terram pejus pyrio pulvere excutitur.

79.

Contingit & ex terræ aqueo globo, ſalinas diverſi generis particulas in auram elevari. Quæ quamprimum ſe invicem contingunt, ità inter ſe concertant, ut fulmen verum producere poſſint.

Typum hujus nobis oſtendunt duæ aquæ ſalino ſulphureæ, quæ quamprimum in minima gutta ſe contingunt, in momento accenduntur ſine ullo igne, & æthera, aëremque dilacerant, ità ut omne corpus obvium cum ingenti fragore proſternant, non aliter ac fulmen talem typum aurum & ferrum fulminans mixturaque fulminea exhibent.

80.

De Pluvia.

Sed pluvia mitior, originem cœleſtibus non debet globis niſi per accidens, quatenùs Ventos concitant, qui Mare commoventes aqueis Athmoſphæram repræſentant particulis, hæ altiùs elevatæ, cum antea eſſent ſub forma vaporis, ſub forma aquæ deſcedunt.

81.

De Nive & Grandine.

SI verò adhuc altiùs aqueæ particulæ vehantur, ſolidius congelatæ Nivem repræſentant, grandinem pari modo ſi frigore ætheris adhuc altius elevatæ glacientur, in quibus nitroſæ particulæ ſalinæ, ſeu dominantur.

82.

Trabes.

E Contra ſi ſulphureæ particulæ ê terra in aërem copioſè exhalent, calore intenſo in ſcandeſcentia vertuntur & accenduntur, unde trabes, Dracones volantes, & alia ſimilia oriuntur Meteora.

83.

De Cometis.

NOn tamen taliter cometæ generantur, qui extra Athmoſphæ-

phæram conſiſtentes in æthere jam altius, jam dimiſſius librati ſunt, ex concurſu ſtellularum minorum, quæ ſuos motus proprios à Deo concreatos habentes, certo tempore ad invicem congregantur, & alias ob parvitatem exiguè lucentes congregatæ notabilem lucem, exhibent, jam longam, jam parvam caudam, jam ante, jam retrò habentes pro poſitura, & proportione concurſus in longum aut latum magis vel minus extenſarum ſtellarum, qui concurſus, quia raro fit, ſemper aliquid portendit. Poſuit enim Deus aſtra in ſigna & tempora. Poſſet etiam concipi, cometas ex Concurſu Athmoſphærarum variorum Planetarum oriri, quando particulæ præcipitatæ in Conum porriguntur, & à Sole illuminantur, de hoc fuſius in libello de Cometis, ſeu Cometographia.

84.

Obſervatum eſt,aliquando ferrum, lapides & ranas, ſanguinemque pluiſſe, quæ omnia non nata ſunt in aëre, ſed per ventos elevata, & aliò translata, rurſus deciderunt; non tamen negaverim, ſpiritu ſeu fermento lapidifico Metallico, animali, & aliarum rerum hæc omnia naſci poſſe, ſanguis colore ſolùm nomen meruit, non re, facillimè ſimilibus rubris corporibus ê terra in altum deductis.

85.

Hi autem vapores elevantur motu ſolis centralis, ſeu Ignis ſubterranei, ubi pars lucis in perpetua ſcandeſcentia, & ira à Deo partim ob generationes ſubterraneas, partim ob motum terræ, de quo infra, partim ob torturam faciendam Diabolis, & damnatis,

natis, partim ob cauſas ſoli Deo cognitas, quas inveſtigare nobis impoſſibile, quis enim conſiliarius ejus fuit? Sufficit nos aliquid pro tenuitate noſtra poſſe vel ſuſpicari, vel cogitare.

Digitized by Google

PARS QUARTA

De Mineralibus, Metallis, Lapidibus, ac Gemmis, Unionibus ac Corallis.

86.

De Lapidibus.

LApides calcarij, arenacei, & ſilices multi pauco conſtant ſulphure, ſed ſale multo, & terra, intermedio, viſcoſiſſimo glutine Aqueo ; potiſſimè fiunt ex aqua, quæ reliquas particulas multum ſuperat, quæ fermento, aut Idæâ lapidificâ congelatur in lapidem ſenſim & ſenſim. Si verò Aqua alicubi ſtagnans odore ſive effluvijs lapidificis tangatur, mox lapis fit, quia particulæ in illa abſconditæ pro lapide ſunt diſpoſitæ, quibus deeſt coagulator, ſive ſpiritus lapidificus,

cus, aut Idæa lapidifica, quæ demùm ſupervenit.

87.

Duritiem & pondus debent ſali, & terræ æqualiter mixtis; qui ſunt colorati, illi ſulphuri & ſali ſuum Colorem quam maximè, viſcoſitas aquæ quò tenacior, eò durior, mollior, levior, ponderoſior lapis redditur.

88.

Lapides pretioſi adiaphani eandem habent equidem originem, ſed terræ minus, ideò puriores ſunt, ſed ob terram opaci, Diaphani, verò ſeu gemmæ, terram nullam, vel pauciſſimam ſortiuntur, ſoliditatem à viſcoſitate aquæ & ſale, colorem à ſulphure ſubtiliſſimo habentes, quæ omnia diaphana prolem ſimilem ſibi producunt.

89.

In his æquè habitat lux copio-

ſa, quæ in Diaphanis ſe manifeſtat, in adiaphanis intra particulas abſorpta, adeſſe non putatur, ſed corpore ab invicem per ignem divulſo in particulis ſalinis ſe repræſentat teſtimonio ibidem præ extitiſſe in fallibili.

90.

Et licet in gradu vitæ ſecundo tantùm ſubſiſtat, tamen ob lucem copioſam facilè particulas diſponere poteſt, ut Idæam Animalem, tanquam perfectiorem, (tendit enim ſemper ad perfectius) evolvere poſſit, animalcula in lapidibus & animalia grandiora producit, prout obſervationibus comprobari poteſt.

91.

Hinc nihil mirum, animalia in Saxis, & Saxa lapidesq; in animalibus obſervari, quorum cauſam extra has hypotheſes nullus ad captum daturus eſt. Nu-

92.

Nutriuntur lapides non per appoſitionem extrinſecam, ſed per introſumptionem alimenti debiti per poros, luce lucem alimentalem tanquam magnetiſmo trahentem in intima cum particulis alimentitijs. Undè argumento eſt arena aut ſilex parvulus, qui poſt 10, vel plures annos grandior & ponderoſior factus, figuram ſuam non mutat, qvam per appoſitionem mutare debuiſset, quia quis director illius appoſitionis? Caſus, venti, & alia? Aſt illi nullam habent ſcientiam Geometricas figuras augmentandi, ſoli id luci competit, quæ præclarus eſt Geometra.

93.

Sic Cavernæ ante 100. annos factæ grandes, nunc ſunt puſillæ effectæ unionem ad invicem, etiam

etiam Saxearum partium animâ lapidali ſatagente, non aliter ac vulnus in corpore animali aut vegetabili lux conglutinat.

94.

De Metallis.

MIneræ Metallicæ conſtant copioſâ terrâ, copioſo Sale, vitriolato, ſulphure pauciori, viſcoſitate aquæ tenaciſſima cum lucis abundantia, quæ per ignem purgata, ità ut quod ſuperfluum erat abſcedat, prodeunt quaſi ſpecularia, polita, lucentia, Archæum hominis, ſive lucem idæatam humaniter, quaſi per characterem occultum alloquentia, cor & ſpiritus hominis, vitamque, aliquando ſolo aſpectu morbos in totum tollentia.

95.

Unde ſecundum puritatem, vel impuritatem (quæ puritas dependet

det ab excrementis, ſive rebus aliis heterogeneis, realgariis, quæ plerumq; metallis adhærent, & ſunt errores facti metallici) Salis Sulphuris, ac terræ naſcuntur puriora vel impuriora, ſunt omnia ſeptem metalla non niſi unum Metallum, & differunt maturitate, & immaturitate, velut pirum crudum & maturum. Non autē ſpecie differunt, ſicut aliqui ſomniârunt.

96.

Quorum baſis & radix eſt Mercurius currens vulgi, ex hoc potiſſima ex parte conſtant metalla, cui varia terrea & arſenicalia admixta ſunt, unde cöagulationem ſortitur, quæ, quia impura, impurum ex mercurio faciunt metallum magis vel minus, qualia ſunt ferrum impuriſſimum, demum plumbum, poſt æs, tandem ſtannum, argentum & aurum ab arſeni-

ſenicalibus, ac terreſtribus impuritatibus immunes puriſſimo ſulphuri ſuam debent coagulationem, ubi tamen luna pauciori, aurum copioſiore ſulphure abundat. Sunt igitur ſeptem metalla, mercurius unicus, puriùs vel impuriùs coagulatu, & modaliter vel accidentaliter differunt.

97.

Omnibus metallis ineſt copioſa lux, unde ſplendent, polita ſunt & Idæis metallicis determinata, quare non moventur & animalizant, ſed ſi aliquo motore extrinſeco cooperante ponantur in alium ſitum, viſcoſitas emolliatur etiam ex metallis animalcula exurgent, ut famoſiſſimus Burrius ſimilia inſecta fuſiùs obſervavit.

98.

Lux tam copioſa in metallis, ac

ac nullibi aliàs in corporibus ſublunaribus, ſi in motum concitari poſſet, ut idæam metallicam involveret, & aliam evolveret, utpotè ſalino ſulphuream, abjectâ viſcoſitate aquæ, mirum quantum eſſet omnium animalium medicina.

99.

Mercurius, qui metallum eſt, (addita & coagulantia non ſunt propriè de natura) abundantiſſimâ luce eſt præditus in particulis viſcoſiſſimis aqueis ſalineisque, habitante in centro abſcondito ſulphure primigenio, hæc in cavernis terræ & Saxorum â luce extrinſeca actuatur, & provocatur, quare ſulphuris corpus dilatando, & per poros omnes protrudendo in circumferentiam mercurium coagulat in puriſſimum metallum.

Aliàs

100.

Aliàs in origine ſua hydrope, & lepra contaminatus eſt. Has qui ſcit tollere, naturam imitatur, quæ illas quidem, aſt longiſſimo tempore, ſcit amovere, Artifex verò breviori id perficiens ſpaciô, aurum ex Mercurio producit coctione continuâ, non tamen illud metallicum vulgi, ſed Philoſophorum, aurô communi millies & millies perfectius. Hic eſt materia vera Philoſophorum pro lapide eorum, in ſimilem gradum puritatis & animationis evectus, extra quem ſi quis materiam lapidis quærit, piſces in aëre venatur.

101.

Omnia metalla igni reſiſtunt, fluunt in illo, ut cera, neque facilè viſcoſitatem aqueam ignis deſtruere poteſt, niſi longo tempore, ut particulas metallicas ab invicem di-

divellat. Aliqua metalla perennant in igne, ut aurum ponderoſius aliis metallis, quia poros aliquos habet, undè inſeparabiliter omnia cohærent; reliqua metalla, majoribus poris donata, leviora ſunt, quia pauciores particulas metallicas nacta ſunt, in pari ſpatio fluiditatem ſuam debent ſali, viſcoſitati aqueæ nimiùm cohærentes.

102.

De Sulphure.

Sulphur commune non eſt principium, ſed principij ſulphurei particulis potiſſimùm conſtat, ſalem abundantem habet, aſt aqueæ viſcoſitatis parum, multùm verò terræ. Jam in illo lux metalla generare contendit, quia communi ſulphuri ingeneratus eſt Mercurius metallicus, propter Sal vitriolicum

licum enim & ſulphur commune ſunt ſecundaria metallorum materia.

103.

Lux in illo inviſcata eſt viſcoſitate aquæ, ſed leviter tantùm, ideò facilis ipſius evolatio, maximè ſi ipſi applicetur lux in ſcandeſcentiam acta, tùm in momento, motus, fit fluor ſulphuris, abjectisque terreis particulis Idæam furentem evolvit, fit flamma, & ignis, ſalinas autem particulas ita acuminat, & rigidas facit, ut tangens corpus animale, crudeles faciat dolores. In flamma & igne eſſe copioſum ſalem, quotidianâ haberi poteſt experientiâ

104.

De Sale.

SAl marinus, gemmeus, foſſilis, putealis, qualiscunque ille à natura productus, non eſt purum ele-

elementum, ſed habet admixtam terram, aquam, & ſulphur ſubtiliſſimum primigenium, quæ omnia ſi quis ſeparare abinvicem noverit, ſal virgineum & purum principium nanciſcetur; quod in aëre aliquando tale invenitur plerumq;, ſemper in illo vitri naturam induit, ex quo tamen à ſcientibus Avicula hæc Hermetis liberari poteſt. In illo, tanquam in ſole terreno, lux ſuam audientiam creaturis exhibet; In illo eſt vis vitæ animalium & vegetantium, mineraliumque; Es mercurius catholicus puriſſimâ luce conſtans clarius omnia aperiens.

105.

Decepit tamen multos, & decipit, qui illum decantatum lapidem philoſophorum ex illo facere volunt, quia licèt aurum ſolvat in oleum, particulas diſproportio-

nan-

nando, & nobiliſſimum inde fiat aurum potabile, medicina ſumma, attamen quia aurum ex gradu & proportione metallica depoſuit, idcircò in metalla agere non poteſt, quia illud in ſuos poros jam aliter (ut loquar puriſatum) non admittunt. Quàm multa millia hac via ſunt dilapidadata! Univerſaliſtæ benè conſiderent hæc.

106.

Craſim metallicam in auro conſervare oportet, ſi quis lapidem Philoſophorum vult facere, & aurum in materiam primã metallicam (non Univerſalem) quæ eſt Mercurius metallicus, convertere, & tunc vadet ulterius, & perveniet in hortos Heſperidum. Plura alius docet libellus.

107.

Sal per ignem liquatus, aqueas dimittit terreasq; particulas, aſt ſulphureas abſorbet, & in poris ſuis abſcondit, ſimulque ſub ſapore acido, ſulphurolente, fluorem concipit, & in ſpiritum vel oleum vulgò dictum abiit, vehiculo tamen aqueo adjutus. Si extrinſeco aliquo ſalinæ ſeparantur â ſulphureis particulis, fluorem hæ nactæ, in flammam abeunt, prout ſæpiùs in aquis fortibus obſervatum.

108.

Undè dum acidus talis ſpiritus miſcetur cum aliis corporibus, acuminibus ſuis impugnat, perforat, & diſgregat mixti particulas ſimiles cum ſimilibus conjungendo, & dum fit fermentatio, ſentitur etiam calor lucis

eis in particulis ſulphureis ſcan-
deſcentis modicum fluorem paſ-
ſis, & niſi particulæ aqueæ inter-
miſcerentur, flamma prodiret,
prout ſæpiùs fœnum madidum
in cumulo incaluit & accenſum
eſt, & quandoq; contingit in ſolu-
tione, præſertim martis, ut flam-
ma prodeat.

109.

Eſt igitur Sal ſecundarium re-
rum principium, animæ ſeu luci
puriſſimum, & diaphanum do-
micilium, quo, tanquam inſtru
mento, potiſſimùm utitur ad per-
agendas novas & novas genera
tiones. Sic animalium generatio
à ſale promovetur per ſalem te
nuiſſimum, in quo in aliud cor
pus anima traducitur, perficitur
Undè Antiqui Venerem ex ma
ri natam fabulati ſunt.

110.

Vitriolum, Nitrum, Alume

pr

pro diverſitate admixtionis particularum ſulphurearum vel terrearum, in hac vel illa quantitate ſali primigenio naſcuntur. Antecellit Nitrum, quod puriſſimum copioſumque ſal principians in ſe abſcondit, ſed nimio ſulphure communi infectum, quod ſi inde ſeparari poſſit, nullibi citiùs ſal mundi originale conſpiciendum quis acciperet.

III.

Quia enim tam ſubtile eſt, ut corpora facillimè permeet, idcircò ſolùm & purum nullibi facilè invenitur, ambit potiſſimum ſulphureas particulas, cum quibus mox fit nitrum. Undè totus aër ſive athmoſphæra, nitro potiſſimùm abundat, quod capitur, ſi aqueæ particulæ ex aëre concentrentur, & aqua fiat viſibilis, quæ rurſus in auras pulſa, manet

ſal in fundo puriſſimum ni-trum.

112.

Hinc error magnus ortus eſt illorum, qui nitrum Mercurium Catholicum materiam Univerſalem ex hac experientiâ crediderunt, ſcientes terram etiam nitroſam eſſe, ſine illo terram eſſe ſterilem. Idcircò multi menſtruum pro ⊙ ſolvendo quæſiverunt, invenerunt equidem aliquid, ſed tamen lapidem philoſophorum indè facere non potuerunt. Nitrum Philoſophorum aliud eſt, quàm hoc vulgi, ex quo tamen educi poteſt via putrefactionis, ſed quòd cum illo non poſſit fieri lapis Philoſophorum, ſuperius jam dictum eſt.

113.

De Vitriolo.

Vitriolum eſt ſal metallizatum, quia

quia à ſale primigenio ferri cuprique minera arroduntur, quibus ſe miſcet ſubtiliſſimum ſulphur minerale, hæc ſimul in vitriolum coagulantur. Hinc tria ab illo haberi poſſunt. In hoc vitriolo multa millia ſunt dilapidata pro lapide, aſt nihil inventum, Baſilius omnes decepit, cui aliud fuit vitriolum, illud ſcilicet, quod ex magneſia educitur, ex quo ſpiritum ſuum Mercurij diſtillavit, qui fuit Mercurius metallicus à queis particulis veſtitus, ſed facili modo viſibilis, & corpus potuit fieri. Credibilius autem eſt, Baſilium Valentinum ex ferro & Venere vitriolum confeciſſe, ex illo metallicas particulas encheresi certâ ſeparâſſe, & in mercurium, ſi non currentem, ſaltem ſub forma ſalis facilè vivificandum, accepiſſe, qui clavis eſt vera & Azor Philo-

ſophorum, eligat quis, quod velit, utrumq; bonum eſt; ſi quis autem in vitriolo communi mercurium metallicum habere poteſt, & eſt in illo, notasque ille Philoſophus cognitas haberet, valet ad opus.

114.

De Antimonio.

ANtimonium imperfectũ metallum eſt, quod natura nobilius eſſe voluit, & indè aurum formare, ſed impedita fuit ab arſenicali ſulphure per accidens admixto. Hinc qui illud ſeparare noverit, materiam puriſſimam, tam puram, ac in auro, inveniet, & medicamenta ex hac puritate deprompta tàm bona ſunt, ac ex auro ipſo. Et ex illa Antimonij depurata materia Artifex aurum facere poteſt, nobilius naturali, id eſt Philoſophorum, quid illud ſit,

ſit, & quid ex illo fieri debeat, & quomodo acquiri, conſulantur Chymici. Multi in ipſo quæſiverunt lapidem ſophicum, aſt plerumque in vanum, eò quòd frenum caudæ equi applicuerint, furfur pro farina, veſtes pro Diana acceperunt. Hanc ſiquis nudam habuerit, illamque ſudare fecerit, ità ut tota ſanguinea fiat, odorare non intermittet, ſtella ipſius Encheresis, eſt productum, lunæ candor eſt puritas.

115.

Arſenicum, auripigmentum, & reliqua ſimilia ſulphurea, ſed mercurium metallicum ſalibus ex aſperatum vehentia, ideòque venena corrodentia, multò conſtant ſulphure, mercurio metallico per ſalia diſſoluto & facto corroſivo. Si quis tamen mercurium metallicum indè ſe-

parare noverit, iſque notas probas mercurij ſophici habuerit, & huic janua aperta eſt ad hortos Heſperidum.

116.

Marcaſitæ aureæ vel argenteæ nomen gerunt, à prædominio metalli, in quibus mercurius metallicus latitat, ſi haberi poteſt talis, qualis eſt neceſſarius ad opus, jam hic Chymicus exultet.

117.

Zinkium, & Biſmutum, pro prædominio metalli hujus vel alterius, aut ſulphuris, naturam ſuam nos edocent. Limus autem, & argilla multùm aliquando mercurii & ſulphuris Philoſophici poſſident, Corallia & perlæ maris progenies. Hæc concharum â rore irroratarum origo puriſſimis roris cæleſtis lapidificati conſtat principiis, & medicina homini magna, aſt oculos fæminarum

rum magìs illudens, pretio putativo æſtimata. Corallia ſulphur & ☉ puriſſimum habent, in quibus copioſa lux inhabitat, robore ſuo lucem inſitam hominis potenter irradiant, hinc introſumpta & appenſa, confortant cor ſpiritus, illuminant animam, & ab exorbitantia corroſiva præſervant; Diabolis exoſa ob lucem copioſam, prout omnia corpora reliqua luce abundantia; nam ſicut inimiciſſimus eſt DEO, tanquam luci increatæ, Angelis & Animabus Sanctis, veluti Luci Spirituali,ità & luci corporeæ, cum quâ ipſi ſtare impoſſibile, qui ſolis tenebris delectatur. Quare corallia Dæmones, ſpectra, melancoliamque fugare obſervata ſunt, ſic lux in gemmis copioſa pro

varietate ſulphuris, ſolâ irradatione lucem animalem variè efficit. Imò ipſe ſaphirus peſtem â corde trahit, & alias mirandas virtutes præſtat.

PARS

PARS QUINTA.

De vegetabilibus, utpotè Herbis, Arboribus & Plantis, aliisq; ſimilibus.

118.

HÆc omnia Copioſâ aquâ, Sale, Sulphure, & terrâ abundant, luceq; non exiguâ prout nunc hæ, vel illæ abundant, hoc vel illo modo miſcentur, ſituantur geometrizantur, talem repræſentant figuram, & proportionem, ſeu Naturam. Hinc aliqua ſulphurea, alia aquea, alia ponderoſa, alia levia, alia durabilia, alia Corruptibilia, alia dulcia, alia ſalſa, amara, alia acerba, auſtera, inſipida, ſtiptica, odorifera, fœtida, pinguia, macra, &c. exiſtunt.

119.

Omnis Sapor in vegetabilibus

provenit â Sale, qui terreis Sulphureisq; mixtus multum vel minus, taliter vel taliter particulis, hunc vel illum producit ſaporem.

120.

Odor verò Sulphuri prædominanti & Socio Sali originem debet, qui Sal prout ſibi uſurpaverit Sulphuris particulas, talem odorem dabit vegetabile.

121.

Color à Sulphure & Sale in æquilibrio poſitis, admixtâ puriſſimâ terrâ, naſcitur. Particulæ fiunt mirabiles, mirabilibus uncis, angulis, Figuris, formâ dolatæ, inquas lux difflua & abberrans, (Solaris inquam illa) impingens jam abſorbetur, & nigrum producit colorem, jam partim planas, partim ſalebroſas invenit particulas, unde griſeus color. Jam pla-

planis, depreſſis, ſalebroſis, paulò elevatis, admixtis abſorbentibus pruneus Color habetur. Planis elevatis depreſſis ad medium, abſorbentibus, Salebroſis poſitis immediatè ſub planis, æqualiter elevatis, abſorbentibus, nimiùm depreſſis purpureus, non nimium depreſſis ruber color naſcitur, viridis Salebroſus ſuper planas elevatas habet particulas, & abſorbentes ſeu umbroſæ infimo ſubſident loco. Ex his coloribus invicem variè mixtis definita colorum varietas emergit.

122.

Omnes has particulas inſita lux Corporis miſcet pro exigentia & idæa evoluta in hanc vel illam figuram. Hæc certè meliùs novit Geometricas figuras facere, quàm Archimedes, & pictores omnes ſuperat in coloribus pin-

gendis, loquantur flores, Herbæ, Gemmæ, lapides varij, varijsq; elegantisſimis figuris depicti.

123.

Omnia vegetabilia conſtant aquâ elementari, ſive phlegmate, Sale duplici, volatili, ſecundum ſe uno, altero fixo per Accidens, Sulphure, ſeu pinguibus & oleoſis particulis, ijsq; inflammabilibus non pauco terreo primigenio Elemento.

124.

Unde dum lignum, herbaq; accenditur, lux diſſipat omnes quoquo verſum particulas. Hinc ſtatim aqvoſitas cum Sale volatili, & Sulphure (quod tam citò inflammam verti non potuit) reſiduo, auras petunt, ſive in ætherem elevantur, in nihilum redacta putantur; aſt ſi capiantur vitro aut vaſe aliquo, novum quaſi conſtituunt

tuunt compoſitum in aliis inter ſe figuris cohærens, ſi aperto fiat incenſio aëre, ſub camino, fuligo capitur, quæ reſoluta dat ſulphur, aquam, terram & ſalem iterum, ſed alterius operationis, quàm lignum aut herba ob ſitum particularum mutatum.

125.

Quod ſi excluſo libero aëre per poros vaſorum ferreorum vel vitreorum, vel mixtorum ex his Ignis penetret, adoritur lignum vel herbas, particulæ ab invicem ſecedunt, & aqueæ Salinæ volatiles Sulphureæ ſenſim & per vices aſcendunt & capiuntur recipiente præpoſito, oſtendentes, quod hæ latuerint in deſtructo compoſito, quæ ab invicem ſeparata, virtutem eminenter poſſident, quæ Corpori, unde deducta erant, adſcribebatur.

126.

Sulphur vegetabilibus æq; duplex unum proprium vegetabilibus, alterum minerale, quod in Carbonibus ſe manifeſtat, quod ob æquilibrium Salis tantùm candet, non flammat, educitur tam bonum, bonum, ac ex terra eruitur, ſed purius multò, quia ad puritatem auri accedit, & ex illa particula auri haberi poteſt, quamvis ſine lucro; Inde tamen demonſtrandum eſt, Mineralia unà cum aqua trahi in alimentum ipſorum. Non mirum, quod aliqui ſtannum, alii Argentum, alii Mercurium ex herbis acceperint, quia hæc habebant in poris partium, impertinentia equidem, ſed tamen adhærentia per modum lappæ Aquâ ipſos in intima vertente. Ita in hominis ſanguine Mercurius inventus dicitur, ſed hæc non ſunt

de

de natura Vegetabilium, licet hæreant in ipſorum alimento per accidens; Sulphur tamen Fixum in Carbonibus exiſtens, quod â Sale fixatur, aliàs natura ſua volatile non eſt per accidens, ſed per ſe. Unde principia Metallica auri etiam in vegetabilibus inveniuntur, ſed jam ad proportionem Metallicam redactis, ut in carbonibus ſcilicet.

127.

Combuſto vegetabili, remanet Ens, in quo latet Sal fixum, quod anteà æq; fuit volatile, ſed per Copiam terræ depreſſum, undè de vigore non datur Sal fixum, ſed igne tumultuante primo figitur Sal hoc, totam craſim vegetabilis, ex quo acceptum eſt, in ſe continet, in quo hoſpitans anima retinet Idæam determinatam ad ſimile ſubjectum producendum, hinc

hinc in illo eſt Semen illius vegetabilis, & ex Sale depurato terræq; commiſto naſcitur vegetabile priori ſimile, ſulphureis, ſalinisq; particulis ex aëre magnetiſmo inſito attractis, & per lucem ſic Idæatam locatis.

128.
Vita ex Cinere.

SIc ſi terreæ aque æq; deficiant particulæ, & Sal fixum cum volatili & ſulphure ex Aëre additis variè ab Artifice commixtis & coadunatis, inque pulverem verſis vitro occludatur, calore admoto, phantaſma, ſeu Umbra corporis præteriti lux in vitro repræſentat, amoto calore omnia rurſus in pulverem abeunt. Pulcherrimum ſanè ſymbolum vel typus reſurrectionis humanæ ex Cineribus futuræ, & Argumentum evidens experimentale, nihil mori

mori in mundo, & vitam in Cineribus latitare.

129.

Eſt ergò Sal fixum, quod antea erat volatile, igne vero fixum (per hoc incorruptibile) cujuslibet vegetabilis & animalis baſis. Quare & volatile, quia idem cum fixo, ſed mixtura differt, ſed neq; ita ſibi cohæret, ac dum fixatum eſt, ideò baſis non vocatur, ſicuti de Sale fixo dictum, in quo vita latens facilè exſuſcitatur magnetiſmo proprio per Circulum illum magnum, quo omnes particulæ & Corpora rotantur, Salino-Sulphureas, in aqueis latentes, attrahendo particulas.

130.

Unde Hyeme omnis ſuccus, vita vegetabilium, periiſſe putatur. Sal fixum in radice latitans fomitem vitæ ſuſtinet tam diu, donec

poris

poris terræ calore verno reſeratis, affluentaq; aqueo nutrimento lephas, idæa ſe augmentans, novam quaſi vitam producit, & rurſus vegetabilia in priores dimenſiones, Figuras, colores, ſapores producit & explicat.

131.

Hæc omnia lux operatur, quæ licet in radice non appareat, quia abſorbta eſt, tamē ſi opacæ demantur particulæ, ſub ſalis forma gemmas candore & luce æquet, ſi non ſuperat, inq; putrido ligno ſat manifeſtè nos alloquitur.

132.

Idæa Vegetabilis cujuslibet, habens ſuam ſcientiam concreatam, quid dextra, quid ſiniſtra per ſe locare debeat, quid ante, quid poſt producere ordinem â Creatore inditum, tum ex arte obſervat, ut indè omnipotentia Dei ſatis admirari non

ri non valeat. Suo enim tempore flores, ſuo fructus, & ſemen in illa mẽſura altitudinis, craſſitiei obſervata producit. In ſemine Idæam ſibi ſimilem imprimit. Unde ſemen, in terram projectum, ſimilem Ideæ ſuæ herbam aut vegetabili in Mundi ſcænam producit.

133.

Semen ergò in terra ſepultum quieſcit veluti mortuum, luce primum gradum tum tenente, ſed ad ſecundum diſpoſitiſſimè conſtitutũ tum ſalinonitroſæ, ſine quibus eſſet ſterilis, in terra habitantes particulæ agũt in illud mediante aqua, & particulas ſeminis ab invicẽ divellere ſatagũt, tum Anima ſeu lux inſita in motum concitata Idæam proximam prioris ſcilicet vegetabilis evolvit, & in ſemine latentes particulas principiantes mox in tenuiſſimam figuram, inviſibilem equi-

equidem & conceptibilem, diſponit, ita, ut tum jam in glande quercus futura videri poſſit ab Angelo, quibus ſic delineatis particulis figit caudicem in terram, & ſalino-nitroſas aqueas, ſulphureasq; particulas (uno verbo lephas dictas) per radicem attrahit, & cuilibet delineatæ particulæ diſtribuit pro neceſſitate, & ſic auget, donec in grandem Quercum excreſcat, ſic de aliis.

134.

Quamprimùm autem ſoliditatem, aqueâ viſcoſitate partes confirmante, vegetabile acquiſivit, tum terram perforat, caput in aere protendens, Cœlum tanquam Promum Condum adoraturum. Ecce tibi Sol calore ſuo poros aperit, & anima Mundi cum Anima inſita communicat, illum confortat, ita ut ex Athmo-

Athmoſphæra, ſeu aëre copioſas ſalinas aliasq; particulas ſibi attrahat, quibus ut aliis per Radicem ex terra attractis, atq; inter Corticem, & truncum ſurſum pulſis particulis moles vegetabilis augeſcit, donec ſuum maturitatis aſſecuta terminum, rurſus ſemen ſibi ſimili Idæa actuatum progenerat, ex quo vix non idem, tamen priori ſimile vegetabile naſcitur, & tum eſt completus Circulus. O. Altitudo, Sapientiæ Dei.

PARS

PARS SEXTA

De Animalibus & primùm de homine.

135.

HOmo nobiliſſima Mundi creatura, conſtat principiis, & animâ Mundi illâ actuante, ut & animâ ad imaginem Dei creatâ, per quam accepit ſpiraculum vitæ, & ſurrexit in corpus vivens, vitam verò â principio non habuit ab anima Mundi in gradu ſibi proprio, aſt hodie ſemper hac potiſſimum corpus hominis regitur.

136.

Conſtat corpore, ſpiritu, ſeu animâ mundi, id eſt, luce corporali, & anima intellectiva, ad imaginem

nem DEI creatâ, quæ eſt lux ſpiritualis â Patre luminum deſcendens, Corpus hominis organizatum ex terra inanimatum productum eſt. Terra illa conſtabat ſubtiliſſimis & puriſſimis rerum principiis, in quibus anima mundi habitat ſub gradu vitæ primo, impotens aſſequi gradum altiorē, tum Deus ſpiraculum vitæ immiſit in corpus hominis, & ſurrexit in animam viventem, & tum anima intellectualis ſola regebat corpus, per illam homo vegetabatur, ſentiebat, ratiocinabatur, & intelligebat perfectiſſimè.

137.

Statim ac animatus erat homo, transtulit eum in Paradiſum, ut ibi vitam fructibus ex ſimilibus ſibi principiis productis conſervaret, cùm enim anima mundi ſemper ad perfectiorem gradū ſuæ evolutionis

nis anhelat, & licet in primo gradu ſubſiſtentiæ ſit, tamen non quieſcit particulas principiantes ſemper alterare, ut liberiori vitâ poſſit frui. Idcircò Deus ipſum in paradiſum tranſtulit, nè ſi extra illum manſiſſet, fructibus corruptioni obnoxiis ex quibus facilè anima mundi tranſire poſſit in gradum animalitatis comeſtis, animam depreſſam ſuſcitaret, & fieret brutum contra intentionem Creatoris, quod ipſum in Paradiſo evenire non potuit, ubi fructus nulli corruptioni erant obnoxii, & adhuc arbor vitæ inſuper pro perennatione conſtituta fuit,

138.

Volens DEUS, ut ad ſimilitudinem ſui ex uno homine totum genus procederet, immiſſô in Adam ſomnô, coſtam ipſius exemp-

exemptam ædificavit in Mulierem, ut ex ijsdem principiis ac Adam conſtaret, ſexu licèt diverſô, tamen per omnia ſimillimam animam in ſufflavit. His paradiſum dedit Deus, & ab omnibus fructibus edere, ſed â fructibus arboris ſcientiæ boni & mali abſtinere juſſit.

139.

Erat autem arbor hæc in probam obedientiæ data, & ſpecialis, ac ab omnibus aliis arboribus paradiſi in totum deſtinata. Nam fructus ipſius corruptibiliſſimi, & anima mundi facillimè vermes & alia inſecta, & fortè ſerpentes aut alia animalia ex his pomis producere potuit. Prout apparet, ex pomis & fructibus hujus mundi facillimè vermes, muſcas, & alia naſci. Dicta ideò à Deo ſcientiæ boni & mali arbor, quod

pomum ſimile comeſtum, malum peſſimum, id eſt, mortẽ, eſſet generaturum. Hinc oculi ipſius aperirentur, & videret ſe ſimilem brutis effectum, qui antea paulò ab Angelis minoratus, ſciens tum, quantum bonum amiſiſſet.

140.

Eva à ſerpente decepta & corruptiſſimum illud pomum comedens dedit Adamo comedendum æquè, & ecce ac primum illud pomũ in ventriculo digerebatur, & particulæ pomi ab invicẽ ſeparabantur, tum anima mundi ad gradũ Animalitatis (uti ſupra dixi) diſpoſitiſſima inceperat ideas animalis alicujus evolvere, ſed quia in corpore humano omnes easdem diſpoſitiones præexiſtentes anima mundi invenit, ac in Corporibus brutorum (quorum aliqua per omnia ſunt homini ſimilia ut ſpeciali-

cialiter Syrenes Tritones) perfectis ſtatim ideam (nullo impediente) animalis rationalis evolvit, & miſeram animam intellectivam ſuo Regno dejecit, ſe ipſi ubique permiſcendo, & tum homo factus eſt, homo brutum, ſeu animal ſenſitivum rationale intellectivum.

141.

Et ſicut in corporibus animalium ad maturitatem perductis anima ſimilem ideam propagatura in vaſis generationi dicatis producit ſemen in verbo illius benedictionis, creſcite & multiplicamini brutis dicto, ſic etiam in Adamo produxit ſemen, & in fœmina ova, & alia generationi brutali neceſſaria. Mox carnis concupiſcentia exorta, et ſe nudos (fors jam virginitate violata) cognoverunt.

142.

Hæc ſubreptio ſpiritus mundi in corpus Adamicum contaminavit animam intellectualem, & orta eſt labes & peccatum originale, in anima intellectuali, per quam eſt incapax facta Regni Cœlorum, quod pro brutis Deus non creaverat, ob vinculum inter illas duas animas non niſi morte ſolvendum, tentatorem nacta & provocatorem ad omnes appetitus prohibitos, & intellectui contrarios, ex Domina facta ſerva peccatis omnibus obnoxia. Hinc inferni capax effecta. Anima verò Adami & Evæ ob peccatum actuale jam damnationis tangenda fulmine ſub miſericordiæ tum pallio adhuc ſuſtentabatur.

143.

Ad hanc labem tollendam incarnari voluit Verbum Dei, illud ipſum, quod illum creaverat, ut

illum

illum ex ſpiritu ſancto regeneraret, & rurſus regni Cœlorum faceret participem & capacem, atque inſtituto Baptismi Sacramento (ut Theologi loquuntur) triplici flaminis, fluminis & ſanguinis Maculam illam Originalem tollere nos docuit Creatur equidem anima intellectiva pro quocunque homine ſinè omni labe, & puriſſima, quia Deus malum & peccatum non facit; aſt quamprimum in corpus hominis infunditur, jam animâ mundi actuatum, tum ipſi ſubjecta ex vinculo & ſocietate inter ſe ex impreſſa labe contaminatur, & contrahit peccatum Originale, â quo non niſi per Baptiſmum hunc vel illum ablui & emundari poteſt.

144.

Tum omnibus concupiſcentiis brutalibus obnoxia contra legem

Dei tentatur, & ad omnia mala trahitur, eſtque ſemper in timore peccandi, tam diu, quàm diu cum ſua mala ſocia corpus inhabitat. In quo ſtulta ſenſitiva novam & novam ideam evolvere volens, attenuat & diſſipat ab invicem principiantes particulas, donec eas ità diſgregaverit, ut amplius pro gradu animalitatis diſpoſitiones non inveniat, & ecce cogitur in inferiorem gradum ſe recipere, & ceſſare ab omni motu & ſenſu, & ſic mors animalis fieri putatur, eſt tamen tantùm tranſitus ex nobiliore vitæ gradu ad ignobiliorem, aſt in homine vera contingit mors, quia anima intellectiva cogitur ſecedere & corpus relinquere, gaudens, quòd in ſtatum libertatis adjuta ſit, de corpore mortis hujus.

Et

145.

Et tum (niſi iterum ſe actualibus maculis & peccatis denuò contaminaverit poſt ablatam labem Originalem, illamque per lavacrum Sacramenti pœnitentiæ non eluerit) fit rurſus capax & hæres Regni Cœlorum, & in reſurrectione Domina ſui corporis futura, animam mundi in totum etiam quoad gradum ſubſiſtentiæ expellet, & prout illa eſt lux ſpiritualis, ità corpus ſuum glorioſum, & quaſi ſpiritum efficiet, & ſuper lucem corpoream in Cœlum illud ad videndum lucem increatam, Deum elevabit.

146.

Si verò anima intellectiva actualibus maculis defœdata illas per pœnitentiam non deleverit, poſtquam à corpore ſeparata fuerit, Diabolo quàm ſimillima, inferno

dicata & exul â regno Cœlorum poſtquam corpus in reſurrectione aſſumſerit, Animam ſenſitivam ſimul aſſumet, ſed in alio ſtatu, ſcilicet iracundo, quo in flammam verſa ſocietate ſua animam intellectivam prout & corpus excruciabit æternum, ipſa per ſe impaſſibilis, eo modo, quo ignis à ſe ipſo nihil patitur.

147.

Adam & Eva primi peccatores, primi & jam acceperunt gratiam pœnitendi, & in ſpe Meſſiæ veniam peccatorum impetrarunt, quia verò mortales effecti propter corruptibilitatem per animam ſenſitivam introductam, ob quam diſpoſitiones pro ſede animæ ſenſitivæ, cui intellectualis alligata, conſequenter & pro illa perierunt, mortui ſunt. Adam & Eva Animæ Meſſiæ adventum & redemp-

demptionem expectare debuerunt, ut â labe â ſenſitiva accepta mundarentur, & ſic capaces Regni Cœlorum fierent, propriè igitur moritur homo, quia anima intellectualis verè â corpore ſeparatur, corpus tamen hominis non moritur, ſed anima in illo gradu remiſſiori habitat. Benè ergò dixit Deus Parentibus, quâcunque hora comederitis de vetito, morte moriemini, id eſt mortales efficiemini, & animæ incident in mortem ſpiritualem illo ipſo momento.

148.

Ob Adami peccatum, & inhabilitatem regni Cœlorum Filius DEI incarnari voluit, ut regeneraret animam, & labem præteritam, præſentem & futuram tolleret, & ablueret ſaluberrimis Baptiſmi & pœnitentiæ undis.

Sed an tantùm ideò, eſt dubium, libeat liberè cum aliis, maximè Scoto, ſentire ſic, licèt Adam non peccaſſet, attamen Filius Dei, cujus delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum, naturam humanam aſſumpſiſſet. Cum enim Deus Creator ſit omnium creaturarum liber explicatus, ille tempore ſe aperuit, & in creaturas explicuit. Unde filius Dei, per quem omnia facta ſunt, circulum illum expanſum immenſo ſpatio in Divinitatem & centrum reſorbere volens, ſicque creaturas omnes inſumere (non autem aſſumere niſi in obliquo) creavit hominem tam ſpiritualium, quàm corporalium creaturarum compendium, in quo eſt totum, quod in toto univerſo continetur, ſuus illi ſol, ſui planetæ, ſuæ ſtellæ & reliqua.

Hoc

149.

Hoc erat medium creaturas omnes in ſe reſorbendi, ſi Deus vellet eſſe ſimul talis creatura & Creator. Quare amore ſuæ tã pulchræ creaturæ, velut ſponſæ captus, ex aviditate & deſiderio magno talem eſſe creaturam humanam, ex homine Virgine aſſumpſit naturã taliter, ac erat in ſtatu innocentiæ, antequam Adam peccâſſet. Unde animam Mundi tantùm in gradu primo ſubſiſtentiæ admiſit, anima intellectualis totum id, quod poteſt anima mundi præſtare, in gradu vegetationis & ſenſationis in ſe ſuſcepit. Hinc corpus Chriſti immortale eſſe potuit, aſt ante paſſionẽ non erat glorioſum, quia in illo lux mundana corporalis in gradu depreſſo exiſtens impediebat, quo minus glorioſa anima Chriſti lucem ſuam poſſet

extra corpus, quod adiaphanum erat, ità volente Deo, ut ſimilis eſſet nobis, & pati poſſet, quia aliàs ſi diaphanum fuiſſet, corpus quod exulante luce corporali futurum fuiſſet (fuiſſet impatibile & inſenſitivum) effundere, & vi lucis creatæ depreſſæ anima intellectualis, in corpore innocenti animales operationes operari poteſt, cœterum non carens medio, quo ſuas voluntates & operationes corpori communicet, quam tamen animam poſt reſurrectionem in corpore Chriſtus non aſſumpſit.

150.

Sed nunquid hoc contra fidem dicitur, per quam habetur, quòd Chriſtus quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Reſpondeo minimè, quia ſicuti illud non eſt literaliter verum, quod dicitur

quia

quia Chriſtus omnia in vivis aſſumpta alimenta,ſaltem dum ampliùs non crevit,debuiſſet reaſſumere, quod eſt nugatorium, ſed ſuo ſenſu, videlicet intelligendo de humanâ naturâ, quam Chriſtus aſſumpſit, in tali ſtatu, ac erat neceſſarius ad hominis perfectionem. Unde Chriſtus homo factus, quod humanitatem in innocentia, ac erat Adam, & eſſentialitas humanæ naturæ primigeniæ ante peccatum requirebat. Quare tum Chriſtus immortalis ſpontaneâ morte mortuus eſt pro nobis, ut nos reſuſcitaret ad vitam, & oſtenderet quales eſſemus futuri poſt reſurectionem, glorioſo corpore reſurrexit animâ mundi in totum dimiſſa, & non aſſumpta reſurrexit, propterea tamen non dimiſit quidquam, quod erat de eſſentia hu-

manitatis, quia ſenſualitas aut brutalitas per accidens advenit humanitati, neque eſt de eſſentia.

151.

Sed non ceſſant clamare Theologi, Adam habuit per ſe animam mundi in gradu ſubſiſtentiæ, dum erat innocens, taliter conſtitutum fuit corpus Chriſti per ſe, ergo & ſpiritum mundi in tali gradu Chriſtus aſſumpſit, hunc dimiſſum dicis poſt reſurrectionem, ergo Adamico more Chriſtus, quod aſſumpſerat, dimiſit, quod eſt contra ſcripturam. Pace illorum dixero. Adamum ſecundùm illos deſtinatum fuiſſe pro cœlo habitando. Cœlum Beatorum ſuperat altitudine Lucem creatã, quam Deus circũſcripſit ſuo Cœlô empyreô, ut ut ipſi nullus locus extra firmamentum non competat ſcripturâ

dicente

dicente, ſtellas, ſolem & lunam in firmamento poſita. Quare ipſi ad cœlum Empyreum nullus unquam aditus fuit nec erit. Adam habens lucem corpoream in gradu ſubſiſtentiæ in ſe, tum aſſumendus fuiſſet, in ſtatu innocentiæ in cœlum empyreum neceſſitate abſoluta, non potuit ſecum lucem creatam ſupra lucis ſphæram evehere; ideoque fuiſſet in Adamico corpore tota retracta, & extracta lucis magnetiſmo, quem lux ad lucem habet ſuæque ſphæræ reddita, ſic enim ratio dictat. Nec corpus Adamicum diſſolutum fuiſſet, quia anima intellectualis ſuppleviſſet, loca abſcedentis animæ, & tum corpus glorioſum & ſpirituale Adam accepiſſet.

152.

Taliter igitur ob intentionem pri-

primam oportebat facere Chriſtum, ut nobis repræſentaret, quis ſtatus hominis fuiſſet, ſi homo non peccâſſet: Nam in Paradiſo exiſtens fuiſſet ſimilis Chriſto in terris converſanti, quoad naturalem conſtitutionem humanitatis. In aſſumptione ad cælos ſimilis glorioſè reſurgenti. Hinc Chriſtus eſſentialia hominis aſſumpſit, dum erat in terris, taliter ac Adam erat in paradiſo. Dum autem Adam in cœlum aſſumendus fuiſſet, ſuperflua & corporea, quæ non ſunt de eſſentia humanitatis, in ſphæra lucis corporea reliquiſſet & deſeruiſſet, ità & Chriſtus nobiliori modo deſeruit impuritates terrenas, & ſuum corpus quaſi ſpirituale effecit, docens nos quoque lucem & animam, propter quam inglorium eſt & adiaphanum corpus noſtrum dereli-

relicturos, & non aſſumpturos, atq; glorioſo corpore dotandos. Nihil igitur Chriſtus deſeruit, quod aſſumpſit & aſſumendum erat & aſſumibile. Nam lux creata cœlo empyreo exul ut ſupra dixi, ex natura ſua in cælum aſſumi non potuit, tanquam corporea & terrea, & incapax Regni cœlorum.

153.

Si tamen ſic Theologis minimè ſatisfieri poſſet, nihil abſurdi eſt, Chriſtum & nos omnes unà cum luce corporea ſurrecturos, & ſic Deus nihil dimiſit. Maximè ſi cogitemus, quod non ſit abſurdum, quòd terrenas, aqueas, ſalinasque particulas aſſumpſerit (ſive per materiam primam) multò minus ergo lucem corpoream. Sed meo ſenſu illæ particulæ evectæ ſuper hunc totum mundum quaſi ſpiritualis efficeren-

rentur, & à Deo exaltarentur, quod luci & animæ mundi non erat deſtinatum, ſic volente Deo. In hypotheſi ergo tali lux Creata cœlum intrabit depreſſa, licèt per particulas corporis æquè lucem ſpargere poterit. Non tamen hic duæ uniones hypoſtaticæ, quia ſicut anima hominis non eſt unita cum corpore, ità & Chriſti divinitas, quæ humanitati, id eſt, corpori & animæ juncta tantum eſt. Nec obeſt, quòd lux in inferno in punctis exiſtens, patiatur, in cœlo gaudeat, quia ſicuti materia prima tua in damnatis & beatis eadem ſpecie eſt, ſecundum individua diviſa ibi patitur, alibi gaudet, ità de luce in partes diviſibili id poteſt enunciari ſine ullo abſurdo. Negaverim tamen, animam mundi pati verè in inferno, quia illa non peccavit, non habens

habens legem poſitam, ſed anima ntellectiva illa patietur ſola, per animam ſenſitivam in ideam furentem, ſeu ignem verſam, & in corpore ſenſitivo ſub utraque hypotheſi. Dicta doctrina poteſt defendi, mihi verò, attamen ſub cenſura Eccleſiæ, prima hypotheſis arridet.

154.

Poſtquam Adam & Eva ſe nudos ſenſerunt, & ſtimulis brutalis concupiſcentiæ tacti ad inſtar brutorum, progeneratione ſe commiſcuerunt, ſicque cum ſemine viri anima mundi, ideâ humanâ extrinſecâ determinata, in viro, & gradum ſenſualitatis & rationalitatis adepta, per traducem in ovum ſeu ſemen muliebre introducta eſt, & plantata non aliter, ac lumen de lumine accenditur. Ibi mox particu-

las

las in ovo contentas juxta ſuam ideam impreſſam anima in ovo ſita, in gradu vegetationis, in gradum animalis & figuram hominis ſe explicat, inde animal homini ſimile productura per omnia cum loquela, & ratiocinio, quod tamen non eſſet homo; ſicuti hiſtoriæ plura ſimilia allegant exempla.

155.

Sed Deus Pater miſericordiarum, qui ex homine hominem non brutum naſci voluit, mox ac ſtamina ſua explicat ſpiritus mundi ideatus, infundit animam intellectualem, quæ facile in urſum, aut ſimiam, dilapſuram ideam ſenſitivæ dirigit, uſque ad perfectam imaginem hominis, & ità dat eſſe perfectum hominis, perque illam ſolam eſt homo, per alteram brutum, ideò homo eſt, homo brutum. Quàm-

156.

Quàmprimum radius ſenſitivus viri accendit lumen ſenſitivum in ovo muliebri, inque illo inſtanti adeſt quoque anima intellectualis & ſtatim incipit vita in ovo comparere, quod anatomiâ tot ovorũ fœmineorum, primæ, ſecundæ, tertiæ, octavæ, decimæ quartæ diei menſtrui bimeſtris ſpatii probatur. In quo animato ovo tertia die jam punctum ſaliens, id eſt cor & circulus ſanguineus in circulum rotatus invenitur. Qui dicunt, id fieri à ſpiritibus, ſunt craſſi ſpiritus, qui neſciunt, quid ſit ſpiritus, ſed quia id ipſis in buccam venit, ſic loquuntur, ut pſittacus, neſcientes ſpiritus eſſe ipſiſſimam animam. Sique contrarium demonſtraverint, ego ipſos dicam eſſe ſpiritus plusquam cœleſtes.

157.

Errant igitur omnes graviter, qui

qui trigeſimo aut quadrageſimo die animam infundi dicunt, in puncto conceptionis adeſſe motum per hoc & animā probat experientia Anatomicorum, cui refragari nolit ratio, niſi velit ſibi nolâ triſtotelicâ argumentum probari. Cum enim anima ſenſitiva, tum adſit, concludendum eſt adeſſe, mòx intellectivam, aliàs Dæmon humani generis oſor ideam quaſi humanam perturbaret, ut inde fieret mus ſerpens, aut quidquam aliud, in quo anima intellectiva improportionatum habitaculum inveniret, & ſic divina diſpoſitio quoad generationem hominis ſæpiſſimè fruſtraretur. Sed ac primum adeſt anima intellectiva, tametſi quaſi famulum agat, tamen informatione ſui corporis hominem ſe oſtendit, volente DEO, hoc uni-

unicum ſolatij à Deo ſibi conceſſum habens.

158.

Ità generatur homo, propter eſum pomi, videlicet ſicut brutum, quia etiam brutum factus eſt, alio modo natus fuiſſet homo, ſi peccatum non fuiſſet, ex ſpiritu ſancto eum naſci contigiſſet, aliquorum eſt ſententia authorum, & tum Eva generâſſet, & manſiſſet virgo immaculata, ipſiſſima Beatiſſima Mater Typus Evaicæ innocentiæ, non autem ex Adamo, qui ſicut Angelus in terris habitâſſet, tam diu ac Deo placuiſſet. Hinc propter peccatum commiſſum, hos in priſtinum ſtatum reduxit, & per ſpiritum ſanctum genuit innocentiſſimus Adam Chriſtus JESUS.

Sed

159.

Sed ego cum Sancta Brigitta vidua Sueca ſubitâ in ſuis revelationibus à trib⁹ Oecumenicis conciliis, quinque pontificibus approbatis, viſione & doctrina, ſentio, Adamum futurum fuiſſe, attamen Parentem omnium filiorum, qui ſolo amplexu Evam ad conceptionem diſpoſuiſſet, per ſpiritum ſanctum complendam.

160.

Organiſationem perfectam pro animæ infuſione requirunt ſcholæ, ſed nimis Scholaſticè, & tyronicè, quia totum corpus hominis perfectiſſimè organiſatum membris minutiſſimis poteſt eſſe in una Atomo inviſibili, & tum in illo ſuas operationes tam ſenſitivas quàm intellectuales utraque anima perficere poterit nobis non videntibus nec concipientibus,

quæ

quæ impoſſibilitas? & tale corpus hominis eſt in puncto conceptionis phyſicæ.

161.

De ovario muliebri ſuperius meminimus, hoc fœminis tam humanis, quàm purè brutalibus competit, & quod antiqui putabant eſſe Teſticulos muliebres ſeminales moderna Anatomia invenit veſicularum aut globorum liquorem aliquem in ſe continentiam eſſe congeriem, in quibus non aliter, ac ova gallinarum, aliarumque animantium, in ovario ſuo generantur, in magnis & præſtantioribus animalibus, maximè verò homine videtur eſſe certus numerus, quæ naturâ puellâ in cellis ſuis generantur tot, quot paritura eſt mulier proles, hinc fœcunditas mulierum, quorum plus lucis & ſulphuris continentia maſculino

ſexui, aquoſiora fœmineo debentur.

162.

Hæc ova, dum mulier in membranis uteri, vel à membro virili, aut ſimili inſtrumento, aut imaginatione, aut alio modo titillationem concipit, mox lubricans liquor ex vagina prorumpens orgaſmo libidinoſo facit turgere mulierem, unde omnes partes ejus uterinæ ſpiritu ſeu tenuiſſimo vapore ſalino inflantur, ut ità in ovario ſpatium non ſufficiat diſtenſis ovis. Quare mox unum avellitur, aut duo, ſed rarius, aut tria aut plura, ſed rariſſimè, & in uterum mulieris per tubas fallopianas deſcendunt lentore quodam obducta, demum ſpiritus plaſticus ſeu radius animæ ſenſitivæ emiſſus cum ſemine in uterum, contingens Ovum emiſſum ſubintrat, vel nullum

lum inveniens in Ovarium penetrans proximum quod eſt, indeq; divellens & in uterum abripiens, illuminat animam ſenſitivam Ovi ſub gradu vegetabili tantùm exiſtentem, moxq; Ideam ſibi ſimilem evolvi faciens, & ad gradum talis animalitatis promovens operatur animal ſimile homini, cui ſtatim ſupervenit Intellectiva, & unà cooperatur impediens, quatenus nullius alterius bruti figura exprimatur.

163.

Hæc Ova verò ſi non ſunt ſalubria, & incapacia irradiationis ab anima ſenſitiva, vel alias ex loculis ſuis occaſionaliter excidant, in uterum, tanquam ova ſubventanea cum fluxu muliebri menſtruo excernuntur, ſi non excernantur, in molas creſcunt, animâ Ovi non volente gradum Anima-

litatis attingere vel ruptâ, effuſo liquore & corrupto, magnos mulieribus morbos producunt.

164.

Quamprimùm autem illa fit irradiatio, tum accenditur quaſi Lumen à Lumine, & Idea Paterna ovo imprimitur, ſecundùm quam ſuſcitata Anima in ovo, & evecta in gradum animalitatis hominem incipit primò delineare, tandem efformare. Si verò brutum aliquod mulierem comprimat, & radius, ſimij v. g; Ovum Muliebre irradiet, ideamq; ſimilem in ovo evolvi ſollicitet, tamen Idea proximè aliàs evolvenda, ſimul evolvitur, & naſcitur bellua ſemi homo & ſemi ſimius. Sed ſi homo nefanda conjunctione cum bruto ſe commiſceat, tum anima ſenſitiva Hominis, Ovum brutale irradians, Ideam brutalem ſuſcitat,

unde

unde in ſe miſcentur illæ Ideæ, mixtum corpus, ſeu ſemihominem efformantes. Si tamen Idea humanæ figuræ prævaleat, tũ ſanè perfectiſſimi homines naſcuntur quoad corporis figuram, qui & loqui diſcunt & ratiocinantur, ità ut tum ab homine vero non valeant facilè diſtingvi.

165.

Quales fuiſſe homines ſeu puellas duas natas teſtantur Hiſtorici, unam Hypotypen ex Equo, Onotypen alteram ex Aſino, quæ & nupſerunt & proles generârunt, & omnia ut homines faciebant. Et quis eſt tam audax, ut dicere auſit, illas habuiſſe intellectivam animam à Deo infuſam? Obligavitnè ſe Deus ad animam Intellectivam in Ovum brutale infundendam? Ergò ſic non indiguiſſet Adam Evâ, ſed potuiſſet ex

beſtiis humanum genus propagari ? abſit hæc blasphemia. Tales fortè fuerunt illæ filiæ hominis ante diluvium, natæ ex beſtiis per damnatum coitum, ex quibus facillimè naſci potuerunt Gigantes famoſi in Mundo Viri. Cùm enim v, g. ex Equo vel Elephante nata ſat longam ſtaturam aquirere potuit ſimilem, ac Equus ſtans ſuper duos pedes, hinc filii Maternam progeniem & beſtialem ſecuti Gigantes facilè eſſe poterant. An autem illi Viri homines fuerint, credibile quòd ſic, quia homines cum ſimilibus brutalibus fœminis coëuntes poterant Deum ad animam Intellectivam infundendam ſollicitare. Si quis tamen dixerit, id fieri non potuiſſe, & Gigantes illos fuiſſe bruta Virilia, cum illo non pugnabo.

Et

166.

Et hoc Diaboli Invidiâ eſſe potuit factum: Cùm enim Dæmon ſciebat filium Dei incarnandum, voluit per commixtionem hominis cum brutis totum ſemen humanum corrumpere, ità ut Deus non inveniſſet purum hominis ſemen Adamicum, ex quo naſci potuiſſet. Sic ergò, quia corrupta erat omnis Caro, diluvio delevit homines, quorum ſimul multa millia fortè jam brutiſata erant, ut & multæ beſtiæ, cum quibus homines coiverunt. Quare & hæ tollendæ erant, idcircò unà cum hominibus perire debuerunt, ut ſemen humanum purum, ut & brutale impoſterum purum propagaretur. Benè ergo poſſunt illæ humanæ beſtiæ filiæ hominum appellari, quia Anima intellectiva à DEO infuſa eſt filiis DEI: Ani-

ma verò brutalis ab homine propagatur, ideò ſolius hominis progenies.

167.

Scio à Theologis cauſam aliam Cataclyſmi aſſignari, & filias hominis, & filios DEI aliter accipi, per me licèt, qui noſtrûm verius dicat, ego quod potui pro veritate non adſtruo, & occaſionem ſumpti ex Hypotide & Onotide, quas verè filias hominis tantùm quis dixerit, ſic ergo eſt tantùm Hypothefis, quia impoſſibile non eſt, nec inconveniens, potuiſſe id ſic fieri.

168.

Quamprimum ovum animatum eſt Ideâ animali, quod fit in inſtanti conceptionis, tam ex particulis in ovo contentis, facit anima delineationẽ ac pictor aliquis, & ducit ſtamina ſubtiliſſima tot, quot

quot ſunt partes futuræ corporis, idque ſimul & ſemel aut breviſſimo conficiens ſpatio, cuilibet lineæ imprimit characterem talem, qualis pars inde fieri debebit. Ideò hæc linea pro oſſe, illa pro corde, illa pro cerebro locatur, quo aliàs partes illæ in corpore locatæ inveniuntur, mox partes formare incipit ex corpuſculis præexiſtentibus, & totus homo aut aliud animal intra aliquot dies effectus conſpici poteſt, ſaltem adumbrativè, licet illud, quod ſic apparet, in ſe ſit perfectiſſimum, licet inviſibile.

169.

Quia verò particulæ in ovo contentæ non ſufficiunt pro robuſtiori animalculo fabricando, tum anima veſicam ovalem dilatat, & quaſi pedunculum aut caniculum efformat, per quam ſe

affigit utero mulieris, & ex venis & arteriis ſugit porulo minutiſſimo tenuiſſimam lympham, ſed hâc valde parum alimenti ſubminiſtrante, extremitatem pedunculi incipit dilatare & formare placentam uterinam, ſic dictam, in qua ex umbilico producit canales, per quos ex placenta copioſius alimentum advehatur, quod eſt tenuiſſimus liquor, quem in ſanguine lympham vocamus, aut chyloſam materiam, ſub ſeri nomine appellatam. Hoc nutritur infans, non verò ſanguine matris, qui per placentam uterinam poros tranſire non poteſt, unà cum infante creſcit etiam veſica, & augmentatur. Imò duplex fit, ut quod craſſius eſt, adhuc fiat ſubtilius, per poros Tunicæ intrinſecæ transſudans ſubtiliores, qui liquor infan-
tem

tem ambit, & per os infantis, ut & poros corporis, in alimentum cedit.

170.

Sic corpus infantis de hora ad horam, de Die in Diem augetur, donec fiat viſibile, quod intra octiduum notari poteſt, aſt intra 14. dies diſtinctiſſimis membris conſtat, ut etiam ſexus notari poſſit: facto grandiori fœtu, ut per umbilicum invectū alimentum non ſufficiat, tum ex Tunica ambiente infantem, formatur papilla ſeu Canaliculus, iſq; in os infantis inſeritur, per quem infans ſugit alimentum, ac ſi illud ex ubere Matris ſugeret. Hinc non mirum infantem mox ſcire ſugere, ac natus eſt, Matris ubera, quia etiam in utero jam ſuxit. Hæc papilla ſi motu Mulieris magno Infanti ex ore extrahatur,

illamq; infans non inveniat, ſcit enim ille ore venari non aliter, ac circa ubera materna ore oberrat, donec papillam inveniat, non habens ſufficiens alimentum per umbilicum, ſi fortis eſt, calcitrat, & partum anticipat, ſi debilis & adhuc parvus, mori cogitur.

171.

Grandis jam factus Fœtus (cujus de ſeptimana ad Menſem, de Menſe ad Menſem augmentum & longitudinem obſervavit diligentiſſimus & clariſſimus Kerkringius) anguſtiâ loci & tenuitate preſſus, ſicut pyrum maturum ab arbore, ſeparari incipit ab utero, tum calcitrat, deſiderans alimentum deficiens, & cum ſuis exuviis, placentaq; extra uterum ponitur, & ſic homo (ut & omne animal pari modo generatum) naſcitur, ex quo Infante magis & magis

nu-

nutrito fit homo, per ætates maturas, qui debito tempore ad generationem novam quaſi per circulum diſponitur.

172.

Sicut ſuprà dictum, Ovum fœmineum ab Anima Viri ſenſitiva irradiari, & in anima ſenſitiva Ideam humanam evolvi & accendi quaſi lumen de lumine, & illam mox animal velle fabricare, inq; eodem momento Animam Intellectivam infundi à Deo ex rationibus ſuprà dictis, atq; animam intellectivam ob maculam ſenſitivæ inhærentem contaminari labe, ſive peccato originali, ità ex doctrina hactenus data facilè reſtitui poteſt illa quæſtio, quæ tot Theologos torquet: Quomodo Beatiſſima Virgo DEI Mater potuerit ſine labe aut peccato originali concepta fuiſſe.

173.

Nam poſtquam Ioachim per a-
ctum Matrimonialem excuſſit ovum ex Ovario Annæ, dum irradiandum erat radio Animæ ſenſitivæ patris, Ecce tibi DEUS radium impedivit, & reflecti juſſit, ſtatimq; Animam Intellectivam infudit in ovum animæ, & quamvis Anima ſenſitiva Ideam Animalitatis explicare conabatur in ovo, attamen ab anima Intellectiva prohibita eſt, tanquam potita gubernio ſui corporis, & coacta eſt ſub primo gradu puræ ſubſiſtentiæ perſeverare, in quo illa non eſt animal, nec Caro, non magis ac eſſet Lapis vel Aqua. Interea Anima Intellectiva fabricam propriam ſui corporis benè noſcens, quã ſcientiam oſtendiſſem in Evæ progenie ſi Adam non peccâſſet. Incepit ſtamina ducere pro corpore Vir-

re Virginis, & ſicut diximus quomodo homo tam ſenſitivæ quàm intellectivæ Animæ cooperatione generatur, ità ſolius Animæ Intellectualis generatione in hominem perfectum generata eſt.

174.

Hinc Anima B. Virginis non potuit contaminari, quia labes fuit in anima Mundi ſenſitivum gradum adepta, non autem in alio gradu. Ratio eſt, quia per eum brutum homo efficitur, quod eſt contra primam intentionem Creatoris, non autem per animam vegetativam aut puræ exiſtentiæ.

175.

Altera ratio eſt, quia ſi in gradu depreſſo contaminare potuiſſet, B. Virgo comedere non debuiſſet, quia taliter conſtituta per comeſtionem maculâſſet, fuit igitur labes hæc ex Pomi vetiti eſu.

per

per quod Anima in gradum ſenſitivũ evecta eſt, & brutales operationes operata eſt in homine, has verò Beatiſſima Virgo non habuit, ideòq; nec labẽ illam brutalẽ; qui meliùs immaculatam conceptionem docuerit, huic ſubſcribam libenter.

176.

Quia verò Beatiſſima Virgo veſcebatur alimentis ordinariis corruptibilibus, idcircò corpus ipſius corruptioni obnoxium erat ac aliud, quia anima ſeu lux mundi ad perfectionem aſpirans nunquam à motu ceſſat, quin velit perfectiones aut alias & alias Ideas evolvere; ſic licèt ab origine Beatiſſimæ Matris temperatiſſium corpuſculum effectum ſit, tamen ad Maturitatem perductum ſenſim & ſenſim deficiebat, ob inſufficiens & improportionatum æterniſandi alimentum, quare illam

lam mori oportuit naturali rerum ordine, non ob labem, nec peccatum, Originali enim illa obnoxia non fuit.

177.

Propter hanc cauſam tranſlatus erat Adam in Paradiſum, ubi erant fructus à Deo creati, qui humani corporis compagem in millia Annorum & ultrà conſervare potuiſſent, & evolutionem idearum impedire. In quibus equidem Anima Mundi poſita erat, ſed in gradu Vitæ ſecundo, quibus comeſtis in gradum primum degenerâſſet. Ideò licet Adam omnes Paradiſi fructus comediſſet, nunquam Anima Mundi ſe in gradum animalitatis evolvere potuiſſet, quod potuit unica parva particula pomi comeſti Arboris vetitæ, ſic Deo ob fines ſuos diſponente, cui ſtudiô nomen

men arboris ſcientiæ boni & mali impoſuit, cœteris arboribus, exceptâ arbore Vitæ, nullum.

178.

Chriſtus Dominus, pace Theologorum dixero, cum non habuerit Patrē in Terris idcircò tali modo non ut homo ordinariò nec ut Beatiſſima ſua Mater concipi potuit, idcircò ex ſpiritu ſancto conceptus, qui obumbrando Virgini ſine ullo Carnali & brutali motu, vel ovum, ſi quod erat, vel aliquam aliam partem, aut materiam corporis diſpoſuit, ut eſſet materia, in qua Chriſti anima infuſa vincta Divinitati operata eſt, ſui proprii corporis fabricam, ſtatim in omnibus membris tam perfectus erat in conceptione ac natus, an tantæ ſtaturæ, non liquet, attamen id fieri potuit.

Labis

179.

Labis originalis mentio pluries facta pleniorem informationem expoſuit. Eſt autẽ à ſenſitiva contracta macula, cùm enim DEUS creaverit hominẽ, qui eſſet ſeparatus à brutis, & homo ſe per eſum pomi reddidit brutalem, Indignationem divinam incurrit, unde Animæ ſenſitivæ humanæ figuræ Ideâ actuatæ impreſſit characterẽ ſuæ indignationis potentem, eundem reimprimi Animæ Intellectuali, (per quam hæc illi ſubjecta fiat, & peccabilis, atq; obnoxia ſenſitivæ concupiſcentiis brutalibus) ab anima ſeu ſpir: Mundi in Idea humana, quoad formã evoluto. Hic character in alias evolutæ Ideas animæ Mundi non competit aliàs. Quamprimùm igitur anima Intellectiva corpori ſuo formãdo infũditur, mox characterẽ indignationis Dei ab anima ſenſitiva, cui cohabitare, & per ipſã omnia (ſic pœnâ Dei

poſitâ)

poſità) agere neceſſe habet, ipſi imprimit in memoriam primæ prævaricationis Protoplaſti; Igitur mox fit incapax regni cœlorum, donec ille Character per Baptiſmum deleatur. Spero me nihil ſanctæ Orthodoxæ Romanæ fidei contrarium docuiſſe, imò potius clarè oſtendiſſe, quomodo peccatum originale poſſit propagari. Satis de generatione nunc de nutritione.

180.

Nutritio.

NUtritio humana, prout & cœterorum animalium, admiranda eſt non minùs, quàm ipſius hominis generatio. Cùm enim homo ex eſculentis & potulentis nutriatur & ſic vivat, nutritio enim eſt vitæ conſervatio, & tamen tantum & plus quàm per diem ingeſſit, rurſus per ſeceſſum, uri-

nam,

nam, ſalivam, tranſpirationem excernit, quid ergò eſt illud, quód molem hominis ex parvulo infante tam grandem facit, ſi totum & plus eijciatur?

181.

Alimentum hominis conſtat ex particulis principiantibus, jam ſic, jam aliter locatis, ac illud ſub fermentum Ventriculo inſitum, & connaturale ſpecificum in Ventriculum venit, ſpoliantur ſitu ſuo particulæ atq; alio modo ponuntur, & proportione aliâ, inq; ſuccum alibilem, felleo, Pancreaticoq; fermento alterandæ componuntur. Hic ſuccus per chyloſos in cyſtidem lacteam vectus ductus, inde in ſubclaviam per ductum thoracicum demandatur, miſcetur ſaguini primo in Cava ad Cor deſcendente, demum meliùs in corde, cujus impulſus

medios

medio in pulmones abſorbetur, aëreis particulis permiſcetur ruſusq; in ſiniſtrum Cordis ventriculum reſorbetur. Inde in Anthlia Cordis per arterias per totum corpus in minutiſſimos porulos muſculorũ, membranarum, ligamentorum, oſſiũ, venarũ, arteriarumq;, ducitur. Unde quælibet pars Corporis proportionatũ ſuis poris alimentum aſſumit & augetur, ſed illud tam parvum eſt, ut alendo homini non ſufficeret, niſi ex aëre exiſteret Vitæ cibus, ſcilicet Salinæ & aliæ in illis involutæ particulæ ſupervenirent, quæ per pulmones inſpiratæ chyloq; mixtæ paucitatem ejus adaugerent.

182.

Nam dubium manet, an non plus alimenti, ex aëre hominibus adveniat, quàm ex cibo & potu, ſiquidẽ homines parum comedentes multum excernant, & multi ſinè cibo &

bo & potu vixerunt dies multos. Fateor, eſſe paradoxum, & quis experientias impugnare poſſet? aſt ſi copiam excrementorum cogitem hominis, majoris quantitatis, quàm aſſumptorum, quorſumquorſum nos convertemus? Fateor equidem prioris diei ſanguinis corporisque excrementa primùm in inteſtina deduci, hinc moles augetur excretorum, aſt per poros ſecundum Staticam Sanctorii admirandum quantum plus excernitur, quàm per alvum & alia emunctoria.

183.

Has particulas locat Archæus hominis, & proportiones has vel illas harum vel illarũ determinat, ut poſſint eſſe proportionatæ pro corpore hominis hujus vel illius partis. Hinc homo ſubtiliſſimis alimen-

mentorum atomis, ut & aëreis nutritur, quod craſſius eſt, ex hoc per exſpirationem ejicitur, ſubtilius manet pro nutritione corporis ponendum in figuras & modos, quos humani corporis partes requirunt. Quò igitur copioſiores & aptiores ad acquirendam proportionem humanam particulæ in corpore remanent, eò magìs & meliùs nutritur homo. Si verò paucæ vel quidem copioſæ, aſt non facilè in proportionem humanam locandæ reſtagnent particulæ, tum vix aut improbè nutritur homo, unde morbi & mors facillimè ſecutura, contingit tamen ut non exactè ſemper proportionentur alimentorum particulæ, unde illarum ſapor per tempus in corpore remanet.

184.

Hinc videndum eſt, cur homo come-

comedens bovem, vel herbam (& ſic de cœteris) nimirum fiat ſenſim quoad carnem ſaltem bos vel herba, quia ſcilicet particulæ bovinæ aut herbaceæ, â fermento ventriculi (par ratio de aliis animalibus) ex proportione bovina & herbacea, deturbantur, & in proportionem humanam, ſic operante Archeo (ſive ideâ ſtomachali) ponuntur, quæ in aliis & aliis corporis partibus pro idæa particulari cujuslibet partis in os, ſanguinem, cor, cerebrum magis & magis proportionantur.

185.

Stante hac theſi, aut hypotheſi, ad formarum generationem, aut translationem recurrere neceſſum non habemus: nec enim forma bovis tranſit in formam hominis materia (tanquam ſubjecto, in quo ſimiles fiant tranſitus,)

prima immota, & ſic ſubſtantiæ in ſubſtantiam mutatio, ſed ſubſtantialium particularum alia & alia fit proportio inter ſe, quod facilè fit anima in carne bovis aut herba eadem permanente ſub utraque diverſaque proportione, non illa tamen una numero indiviſibili, ſed una numero in parte diviſibili, quæ partes, dum ſunt ſub diverſis proportionibus, diverſas evolvunt ideas & diverſè operantur, ſi tamen proportio immutetur, proportione hac in aliam translatam, animæ mundi pars cum parte alia confunditur, ut aqua cum aqua & ideam ſimilem evolvens agit ut prior, cui acceſſit hæc anima, quia animæ particulæ v. g Hominis ſenſitivæ indies per poros deperditæ, ex anima mundi in alimentis latitante reſtitui debent: Hinc conjectur andum com-

compoſita rerum non niſi accidentaliter, ideſt proportione (quã naturam vocare poſſumus) aliter & aliter couſtituta diſtingui.

186.

Animalia perfecta, quæ ex utero fœminæ & maris congreſſu naſcuntur, eodem modo, quo homo, concipiuntur, augentur, pariuntur (non tamen in dolore niſi per accidens) creſcunt, nutriuntur, matureſcunt, niſi quòd his animam Intellectivam infundat Deus & anima ſenſitiva per radium ſeu particulam ſui traducitur in ovum brutale, ibi cum anima præexiſtente confuſa & mixta in animali partes in ovo contentas diſponit.

187.

Imperfecta verò animalia, ut muſcæ, araneæ, ſcarabæi, vermes, ranæ naſcuntur ſemper ex ſemi-

ne; aliqua diverſis corporibus diverſos habent ſexus, alia ſunt hermaphrodita, & in ſe ipſis ovula fœcundant, quorum aliqua extra ſuum corpus ovula proijciunt, aliqua geſtant, vel intra corpus, ves corpori adhærentia, & luce ambiente in vitam actuantur. Unde in limo & aliis locis putantur ex putri naſci animalcula ſimilia, ſed erroneum plerumque eſt, nam tam parvorum animalculorum ova obſervari non poſſunt, idcircò putantur ex putri nata. Quædam ex cadaveribus, lignis, herbis putreſcentibus æquè naſcuntur, & tum lux, ſeu anima mundi, particulas in auras diffluentes congregans, pro illarum proportione evolvit Ideam muſcæ, bufonis, ranæ, arane quod tamen non fit &c. tam frequenter; plerumq; enim ex ovulis naſcuntur. Sic in pulicibus

cibus, muſcis, imò culicibus per miſcroſcopium ovula ſimilia videre licet.

188.

Si proportio poſſet inveniri particularum bovis, aut alterius perfecti animalis ſine præexiſtente ſemine, æquè bos naſci poſſet, ac naſcitur ex utero vaccæ. Imò homo quoad animalitatem, & figuram extrinſecam tantum, non verò quoad intellectualitatem, ſic quòd poſſit naſci, non video impoſſibile. Quia omnia tantùm, ut dictum, accidentaliter, & quidem Geometricis tantùm figuris diſtinguuntur. Sed difficultas magna ſimilem proportionem inveniendi, ideò DEUS per ſemen & traducem animam perfecta animalia voluit generari.

189.

Aves ovariis inſtructæ ſuis, illa

menſtruè, illa Annuè ſemel vel bis evacuant, fœcundæ enim ſunt, & ova ponunt, quæ ſi radiô ſenſitivæ in utero exiſtentes radienur, fœcunda fiunt, ſi non, ſunt ſubventanea, materiam quidem pro ave continentia, ſed anima ideam ſimilem in ovo evolvere nequit. Hoc tamen ſpeciale habeat, quòd radius ſive particula animæ avis, in ovario non poſſit in vitam ſe explicare, ſed quaſi frigore conſtrictus torpet, donec ovum extra corpus ponatur, & calori tenui committatur, tum primò ſuſcitatur ille radius & ſuſcitat unà animam in ovo contentam ad parem ideam. Et hujus ratio eſt hæc: quòd aves uteris careant, & in ovariis ob copiam ovorum id fieri nequit, quam primum enim maturitatem & perfectionem ſuam ovum nanciſci-

ciſcitur, mox eijcitur foras. Quare radius non inveniens ova matura, cogitur expectare ibi, hinc coagulatur quaſi & torpet maturatio, quia eſt diſproportionata materia ad ſtamina ducenda, & dum maturum eſt, mox foràs amandatur in frigidum aërem. Cur autem non emoriatur, ratio eſt, quia blando conſervatur calore in ovario, extra verò Cortice ovo obducto locum fuga non inveniens, hærere cogitur, & quieſcere ab operatione, donec calore attenuetur & in motum concitetur.

190.

Piſces ova ſua in aquam effundunt, quæ lacteô ſemine maſculi conſperguntur, & irradiantur in illis æquè ac avium ovis radius frigore aëris congelatur tam diu, donec calor ſolis (quem

exiguum requirunt) attenues illud ovulum, & tum radius, ſive particula animæ piſcis in anima præexiſtente in ovo ideam evolvit ſimilem, & commiſcent ſe, fiuntque una anima, & tum pro piſce lineamenta ducuntur, partes augentur, & piſciculus formatur, qui ex alimento ſibi proprio nutrimentum ſumens, in grandem piſcem potentem iterum generare excreſcit. Et ſic generatio animalium extra vel intra uterum natorum non differt in ſubſtantialibus. Calor ſolaris cauſa tantùm eſt inſtrumentalis, ut & avicularum incubantium, quia ova etiam in clibano (ut fit in Ægypto) excludi poſſunt. Non dantur ergò ranæ in communi, aut ſimiles aliæ imaginariæ beſtiæ, nec ſol eſt Pa-
ter,

ter, niſi valdè remotè, quia ſcilicet continet lucem, ſive animam, quæ in gradum animalitatis evecta ſic operatur.

PARS SEPTIMA,

ſeu

Appendix ad Principia Rerum.

Et primò de Spiritu Mundi.

191.

HIC eſt ille ſpiritus, quo omnia vivunt, nutriuntur, augeſcunt & creſcunt, ratiocinantur multùm vel parùm, deficiunt, ac pereunt, unus omnium rerum director totam Machinam Univerſi diſponens juxta intentionem & ordinationem ſui Creatoris. Cauſa admittendi & docendi eſt, primò quòd tot varias rerum mutationes non ſit poſſibile ex Ariſtotelis Philoſophia explicare. Secundò quia Ariſtotelis Philoſophiæ fundamenta pro materia & forma non poſſunt defendi, & per Experientias varias

rias demonſtrari. Tertiò, quia quod fieri poteſt per pauciora, per plura fieri non debet.

192.

Creatum illum eſſe Sacra Scriptura fatetur, non quidem dum dicit, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, quod de Spiritu Sancto intelligitur, ſed dum dixit DEUS, *fiat Lux, & facta eſt Lux*.

193.

Lux igitur creata, quam nos videmus, cujus generationes ſentimus, palpare tamen ob ſubtilitatem non poſſumus, eſt illa Anima Mundi, ille ſpiritus Mundi, omnia, totius Univerſi ſubjecta penetrans, illuminans, actuans, movens, mutans, corrumpens, Nobiliſſima & ſubtiliſſima, Quinta rerum Eſſentia ſemi ſpiritualis, poſt Angelos ac Animam, Crea-

tura, quæ omnia implet, nihil ſibi præcluſum inveniens, atq; in Centro terræ uſq; ad Cœlum Empyreum inſtar Globi expanſa.

194.

Centrum ejus eſt in Centro Mundi, ubi Ideis in ſulphure exiſtentibus, ad hoc actuata in flammam abit, & Ignem ſubterraneum & Centralem conſtituit, Diabolos & Damnatos crucians, in rabiem quaſi verſa, ſic cùm ſit ſemiſpiritualis ob nimiam in eſſentia ſua ſubtilitatem facilè proportionari poteſt, ut ſpiritus cruciet, ipſa interea impatibilis, ut Ignis noſter in ſe ipſo non patitur.

195.

Eſt Subſtantia Corporea diviſibilis, non qualitas, ex qua Calor, & ſiccitas ſuam ducunt Originem. Illâ attenuatâ & inviſi-

bili

bili reddita, nullus, nec minimus quidem, calor ſentitur, ſed aliquatenus conglomerata, remiſſè calefacit & ſimili calore vivificat, aſt calore intenſo excandeſcens & in flammam verſa mortificat. Illa lucet in Cœlo, Sole, & Stellis, ſubſiſtens taliter, ac eſt ſinè ulla evolutione Ideæ, niſi quantum fermenta ſtellarum ad Meteoricas operationes eam diſponunt. Illa vegetatur in mineralibus, & Vegetabilibus, illa ſentit, movet ſe, iraſcitur, amat, odit, ratiocinatur magis vel minùs pro diſpoſitione Organi rationis Corporum in animalibus tantùm.

196.

Unde meritò Caput ipſius dixeris eſſe in Terra, & Aqua, & animalibus ſupra & ſub Terra, ac ſub Aqua manentibus; Quibus locis animales operationes ope-

ratur, & quòd ſit rationalis, ſe prodit. Nam extra Terram in æthere, Stellis, & Sole pars ipſius reſidua nec vegetat, nec ſentit; Motum ipſi quis meritò aſſignaverit, quia ſtellas, ſolemq; congyrat; Aſt neq; ratiocinatur, quia diſpoſitiones & generationes non habet ſimiles. Attamen quælibet ipſius particula ratiocinari poteſt, ſi organa Corporea inveniat diſpoſita, ut Communis de Anima rationali eſt ſententia, quæ in Capite ratiocinatur, non autem in pede.

197.

Pars ipſius à Centro remotior, remiſſiusq; furens, calorem producit in Terra, cujus beneficio Mineralia, Metalla & lapides generantur. Siq; quis Terram intra 24. horas ab Occidente in Orientem circa ſuum centrum motu

diurno

diurno dicat moveri, motorem habebit Lucem, vel illam in furias & flammas actam, vel remiſſiùs agentem. Hæc ſub Terra exiſtens & furens, ruptis cavernis, Montibus, flammas evomit, ventos pulſo aëre ex Cavernis producit, Terræ motus concitat, Aquarum tempeſtates operatur, Maris fluxum & refluxum cauſat, ut Lunæ ſuffragio non indigeamus. Remiſſiùs agens veſtit ſe pinguedine viſcoſæ Terraqueâ Salina ſeu Vitriolica, & comparet ſub ſpecie ſulphuris communis, & eſt ille Demogorgon Antiquorum.

198.

Ex illo ſulphure accedentibus aliis particulis Salinis & viſcoſitate aquea naſcitur Mercurius communis, ſive Argentum vivum, qui deinde coagulatur in metallum, ut dictum antea, ubi

Lux omnem ſuriam depoſuit. Taliter conſtituta etiam Gemmas & lapides producit fermento terreo ſic Ideas diſponente.

199.

Altior ejus pars in vegetabilia diſpertitur, & animalia pro exigentia fermentorum (de quibus infra) Ideas evolvi facientium. Nam fermenta ſunt, quæ Ideas in anima Mundi in hanc vel illam Ideam evolvi faciunt.

200.

Egreſſa Lux Terram & ejus partes animalia ſcilicet, herbas, & volatilia Athmoſphæraq; ejusdem in latiſſimam circumferentiam effunditur usq; ad Cœlum Empyreum ibi ſiſtit, limites habens poſitos, nobis autem in puriſſima ſui, & pulcherrimè lucente Natura ſe repræſentat, ut concipere & cogitare poſſimus, cùm

cùm hæc corporalis Lux ſit tam pulchra, & amabilis, ſine qua nihil eſſet pulchrum aut amabile, quid tandem debeat eſſe Lucis Creator, & Lux increata, ſinè qua nec quidquam pulchrum & amabile eſt, quod eſt: Et quid ſit Anima Lux ſpiritualis ad ſimilitudinem DEI creata.

201.

Cùm autem Lux ità attenuari poſſit, ut oculum effugiat, & tenebras non illuminet, inq; ſua ſubtilitate nobis paucũ Lumen præſtaret, efformavit DEUS Solem, Lunam, & Stellas: In quibus condenſavit Lucem, unde ſuos radios vibrat in Terram, & lumen ſufficiens.

202.

Stellas aliquas Solis æmulas eſſe & Soli Magnitudine æquales alias Lunæ naturam habentes, alias

Mar-

Martis, alias Jovis, apud Mathematicos eſt in confeſſo, quæ ob altitudinem 18. millionum milliarium, & forſitan adhuc triplo altiùs, nè dicam centuplo poſitæ, parum nobis Lucis exhibent, nec hoc ſine creata, ſed in ſigna & tempora ſunt nobis collocata.

203.

Lux ſive anima, aut Spiritus Mundi admirabilis rerum Architectus omnes ſibi Antipathias & Sympathias ſolas vindicat, per ipſam omnia ſalvari poſſunt, clareq; explicari, quæ per fundamenta Ariſtotelicæ Philoſophiæ explicari non valent. Dicitur aliquid, ſed quid ſit illud, nullus capit. Magnes trahit ferrum, quare? non dicunt, eſt Sympathia, qualitas occulta. Deus bone! quid hoc eſt iterum, ſi petas explicari, audies, eſt id, quod non capimus, aut neſ-

cimus:

cimus: hæc eſt potiſſima cauſa, cur ſpiritus Mundi admitti debeat, & doceri, maximè cùm Ariſtotelis Philoſophia de materia & forma non poſſit defendi, quin per Experientias in nihilum redigatur. Idcircò tantùm ſunt Entia rationis. Et cur debemus admittere Myriades animarum, cùm omnia ſalvare valeamus per unicam Animam?

204.

Unde per animam Mundi unicam omnia explicantur tam clarè, ut homo gratias agere debeat DEO, quòd dignatus ſit illuminare. Sympathia & Antipathia nomine quidem contraria ſibi ſignificantur, aſt non propriè, quia nihil in Mundo contrarium eſt, ſed omnia tantùm diſparata. Hinc calor non eſt frigori contrarius, nec ſiccitas humiditati, nec aqua

Igni,

Igni, nec Lupus Ovi, nec Lux tenebris, nec vita morti, quia hæc nullibi eſt in Univerſo.

205.

Ut hoc aliquibus exemplis illuſtremus, primò dicimus, Aquam Igni non eſſe contrariam, quia ſimul in gradu ſatis intenſo cohabitare poſſunt. Sic enim dum Aqua per Ignem fervida redditur, particulæ Ignis copioſiſſimè in poros aquæ ſe inſinuant, & aquam in gyrum rotant, (quod Luci proprium) atq; tam Igneam efficiunt, ut corpora mollia crudeliter adurat & mortificet. Quàm diu aqua ſuper Igne ſtat, novæ & novæ Ignis particulæ per Lebetis poros ſe aquæ miſcent, & aliæ ſemper, & ſemper evaporant, cum aqua in Vaporem redacta; donec vel tota aqua per Ignem in Vapores reſolvatur, vel ab Igne removeatur, tum

tum ſenſim ex poris particulæ Igneæ exhalant, & attenuantur in aëre, & aqua fit frigida.

206.

Calor igitur, qui eſt cum Aqua, ignis eſt, non enim ſeparabilis eſt calor à Luce aut Igne, ideò nec qualitas, ſed ſubſtantia eſt; Et depreſſo frigore aquæ, eam Igneam quaſi reddens manifeſto experimento, Aquam Igni non eſſe contrariam. Quod autem Ignis aqua affuſa extingvatur, non eſt ratio contrarietatis, ſed quia pori ligni v. g. affuſâ Aquâ obſtruuntur, hinc oleoſitas novum alimentum flammæ ſuppeditare nequit, quare mox attenuatur & excandeſcentiam deponit, & fit inviſibilis, atq; extingui putatur. Sic ſi loco Aquæ fimum, Pannum Centones applicaveris, æquè flammam extingues. Non contrarij ergò, ſed pororum obſtructione.

207.

Calor frigori contrarius non eſt, ſed uterq; ſimul habitant in æthere minimè tumultuantes, ſiq; calor prædominetur, ut fiat intenſus, ſupprimitur frigus, non verò pellitur, quia imminuto calore, frigoris proprietas rurſus adeſt, & aliunde advenire non potuit, ergò manſit ubi erat. Sed dum Lapis aut ferrum frigore brumali congelantur, ibi ſanè intenſum frigus oportebit admittere; Repoſito Lapide in focum, vel fornacem, Lapis fit temperatus, & in temperata aura manens ſemper talis erit; Ergò frigus expulſum eſt, & non manſit, dicet aliquis? reſpondetur, ſinè dubio intenſum fri-

gus ſuccedente calore expulſum eſt corporis, quia duo corpora in poris lapidis non poſſunt cohabitare propter anguſtias ſpatii, ſic unum alteri cedere debet: manet tamen frigus remiſſum, quod ad tactum apparet. Et ſecundò corporibus ſimilibus frigus aut calor ſunt per accidens, hinc calere vel frigere poſſunt. Aſt ut eſt calor ſive Lux magis vel minus excandeſcens, frigus, quod eſt æther magis vel minus condeſatus invicem pacificè habitant, & temperaturam faciunt: Quod ſi unum copiâ alteri prævaleat, pellit illud extra poros corporis, & unum alterum attenuat poros alterius dilatando. Non igitur eſt Calor frigori contrarius.

208.

Sic ſiccitas humiditati non contrariatur: nam cum ſiccitas ſit Luci & Ætheri propria, nihilq́; aliud ſit, quàm Æther vel Lux ipſa, & humiditas nihil aliud, niſi aqueæ particulæ, clarum eſt, illis non contrariari, ut jam dictum de Aqua ex Igne. Effectus, qui ſe mutuò tollunt, à contrarietate fiunt, ſed quia unum alteri improportionatum eſt, & hoc modo diſparata erunt non Contraria.

209.

Quomodo verò Lux unica tam varios effectus edere poſſit, audiamus. Illa à DEo ſubtiliſſima, & inviſibilis quaſi creata, vix non ſpiritus dici poſſet, ſicut alii ſuo ſpiritui Mundi ſpiritualitatem attribuunt, aſt tamen eſt Corpus, ſed tam ſubtile, ut cum ſpiritibus decertare poſſit, niſi quòd diviſibilis

bilis ſit, & partes in indefinitum numerum, minutiſſimarumq; atomorum eſſentialiter indiviſibilium, dividi poſſit. Hanc DEUS primò ſenſualitate, rationalitate, augmentandi, movendi potentiâ inſtruxit: deinde infinitam quaſi ſcientiam hoc vel illud operandi ad exigentiam hanc vel illam infudit. Has ſcientias vocamus rerum imagines, ſeu Ideas, alii Medici & Philoſophi, Archæos, alii Naturas appellant, quas ſpiritus Mundi totus ac eſt in ſe, poſſidet omnes etiam vel in minima ſui particula, unde in qualibet lucis particula poteſt fieri Lupus vel Ovis.

210.

Poſtquam ergò Creaturam Lucem, ſeu ſpiritum Mundi ità Deus inſtruxiſſet, talibus potentiis, quas habitis requiſitis in actum educere

valeret; partem Lucis compegit in mineralia, partem in herbas, Arbores & Vegetabilia, partem in Animalia: & illâ diviſione ſtatim evolvi fecit hanc vel illam Ideam, & illi benedixit, ut quidquid Lucis ad ſe attraxerit, mox Ideam ſibi ſimilem evolvere poſſit in illa, & ſe augmentare unde mox variæ herbæ, variæ arbores, varij piſces, variæ Aves, varia animalia extiterunt, quæ omnia fœcundâ Ideâ ſuâ & ſcientiâ ipſis à Deo infuſâ ſe nutriunt, augmentando propagant, animam mundi indeterminatam ad hanc vel illam Ideam evolvendam, ad ſui ſimilem Ideam evolvendam determinantes.

211.

Cuilibet Ideæ determinatæ, ut dixi, ſcientiam dedit omnipo-

ns,

tens, vitandi mala, appetendi bona & grata, particulas principiantes in hanc vel illam figuram, aut proportionem locandi, & ſimilia. Talem ſcientiam continuò practicat Lux per Ideam determinata, donec particulæ corporeæ illam proportionem inter ſe ad invicem ſervare non valeant, & tum Idea hæc involvitur, & ſic corpus mori putatur. Tum Lux imperfectionis impatiens alio & alio modo ſusq; deq; omnia rotans, donec aliquam proportionem novam faciat, & mox Ideam ad hanc proportionem alligatam evolvit, & naſcitur novum animalculum vel aliquid aliud. Hoc tam benè in vegetabilibus, quàm animalibus, piſcibus & aliis contingit.

212.

Proportio & diſproportio facit varios eosq; apparenter contrarios aliquando effectus ſympathias & antipathias. Unde quòd magnes ferrum trahat, eſt proportio pororum ferri ad particulas & effluvia magnetica, & viciſſim, cùm enim effluvia ex omnibus corporibus exeant craſſim ſui corporis continentia, ſunt enim quaſi Luminis radii: ergò etiam ex Magnete & ferro, quæ duo ſibi in debita vicinia collocata neceſſariò (ſi non impediantur) ſibi appropinquare debent, quia atomi magnetici poros ferri irruentes ulterius perreptant totum corpus illius. Vice verſâ atomi effluviorum ferri in poros Magnetis irruentes totum magnetem pertenebrant; ſic ſemper propiùs & proprius unum ad

invi-

invicem accedit metallum, quo plùs effluviorum in poris abſorbetur, donec ſibi mutuò cohæreant, non aliter, ac dum duo fila ſunt protenſa ex duobus extremis, & demum circa extrema obvolvuntur, tum fiunt ſemper breviora & breviora, donec ultimò ſe planè contingant.

213.

Quod ſi pori unius corporis ſint quidem proportionati alterius effluvii, hæc verò non inveniant ſimilem proportionem pororum, dum ſibi intra activitatem ſphæræ apponuntur, tum corpus ſubire volens, poros ſibi proportionatos alterius corporis ac primùm effluvia ejusdem contingit, cogitur recedere etiam cum impulſu; ſi radii ſe in corpus effluviis non proportionatum tamen immerſerint, tum radii poros

ulteriùs ſibi proportionatos non invenientes in arcum quaſi tenſi, & compacti reijciunt corpus non aliter, ac lumine in arcum à chorda tenſa.

214.

Hoc ex fundamento Antipathias & Sympathias explicare facilè eſt. Multa tamen ad hæc duo, tanquam ad aſylum ignorantiæ, remittuntur, ſed revera illuc non pertinent. Sic dicitur: Lupus inhiat ovi, ex Antipathia aliud animal alteri, aſt id nolim adſcribi his, ſed eſt in Tunica linguæ lupi proportio pororum talis, quæ non magis expletur, quàm per ſuccum manſæ Carnis agninæ; idcircò tanquam ſibi quid ſapidiùs diſcernens Lupus magis appetit agnum quàm porcum. At-

tamen

tamen cum animalibus, alia animalia in eſcam ordinavit DEUS, appetunt illorum carnes magìs vel minùs pro ſapiditate: ſicut homo hoc præ alio libentiùs comedens. Quòd Caſeum non poſſint edere aliqui, alia ratio eſt in fermento ventriculi ſcilicet, quod eſt improportionatum particulis Caſei.

215.

Qui autem Cattos nec videre, nec olfacere poſſunt, hi nobis Antipathiam opponere poſſunt: Eſt autem ratio, quòd Anima Mundi Catti ideam repræſentans amittat effluvia ſui corporis Ideam humanam animalem in diſturbium & horrorem concitantem, quare illa omnia ſusque

deque movet, ut moleſta effluvia à ſe propellat, undè malè ſimiles habeat homines, attamen in diſproportione conſiſtat totum negotium, idq; ideò, quòd dum Mater utero geſtâſſet hunc hominem, territa fors à Catto v. g. Anima ſenſitiva Matris à ſpeciebus Cattinis horrorem concipiens externum, per communicationem, quam habet Anima Matris directrix & inſpectrix & Cooperatrix formationis ſui fœtus (cum anima fœtus) mox ſimilem horrorem imprimit intrinſecè tenello fœtui. Unde quamprimum effluvia Catti ſolo odore animam talis Infantis nati demum adulti ſubintrant, eundem horroris caractere evolvunt, & hinc illa Antipathia oritur.

216.

Taliter etiam imprimuntur ſtigma-

gmata Infantibus, mediante ſenſitiva anima Matris. Nam quando Mater v. g. fortiter apprehendit aliquam rem cum deſiderio habendi, ſic Anima Matris in ſe ipſa phantaſticè format ſibi figuram rei deſideratæ, ab illa cogitationes non removens, ſimilem phantaſiam in anima Infantis ſuſcitat, & quia hæc Phantaſia Infantis Archæum informatione format & commovet, ab hac liberari ſe ſatagens, illam non poteſt, quam diu Mater ſimili cogitationi inhæret, & Infantis Animæ inſit adhuc brutalis appetitus, Idcircò ſi tum Mater in Cogitationibus hærens aliquam partem ſui corporis tangat, (nam ex toto corpore Matris Anima ſenſitiva in uterum radios corporeos emittit, qui membris infantis correſpondent, & proprietates, defectus, aliaq; mala

membris Infantis invehit) in ſimilem Corpuſculi ſui partem, Anima Infantuli formam iſtam excutit, & illâ ità ſuam phantaſiolam liberat, & corpus unum deſiderii Matris portat, ille verò pergit in ſuo opere.

217.

Aſt mirabilius illud, quòd mulier quædam fœtum grandiuſculum utero gerens, dum ſemel decapitari quendam hominem vidiſſet, valdè territa in deliquium cecidit, enixa paulò poſt Infantem, cui Caput erat abſciſſum, Caput autem ex utero non exivit, nec Mulier moleſtiam in utero ullam habuit, ſigno certo, quòd Caput Infantis non reſtiterit in utero. O Admiranda res! cujus rationem dare difficile. Dicimus tamen, vi noſtræ doctrinæ, facilè id fieri po-

potuiſſe. Nam cùm mulier gerens utero in decapitatione facta à Carnifice fors ſummam habens complacentiam, deſiderium (ſicut prægnantibus nihil novi abſurdiſſima appetere) accepit aliquod decapitandi, etiam fortè ſui proprii in utero Infantis: Quare in tali deſiderio Ideam gladij fabricavit, & tangens uterum, quo loco caput Infantis erat, manu, Ideam gladialem collo Infantis incuſſit, & caput demeſſuit, ſicuti ſi pyrum deſideràſſet & pyri formam collo appoſuiſſet. Quòd verò caput abſciderit, non verò gladii formam expreſſerit, ratio eſt, quia deſiderium erat Infantis caput abſcindendi, idcircò gladialis Idea non ſolùm ad Collum, ſed per collum

tranſierit. Quod autem Caput nullibi repertum, id quoq; Matris Phantaſiæ adſcribi poteſt, quæ Caput à ſe decollati Infantis nolens reperiri nec noſci, cujus cadaver eſſet caput in atomos reſolvit, quæ cum lochiis Mulieris exiverunt. Hæc tenuitas ſuggeſſit mea in tam inconceptibili caſu; de cujus veritate adhuc dubitatur. Dato tamen, quòd id ſic evenerit ratio aliqua aſſignanda eſt à Philoſopho; Ego aſſignavi, ut potui: Qui meliora docuerit, illi libenter ſubſcribam.

218.

Sed quid dicemus de unguento Armario? quod alii Diaboli opus eſſe Blasphemi in DEUM proclamant. Una Anima Mundi potentiam & virtutem ſibi datam oſtendit, quam quia capere non volunt, aut non poſſunt, ſuo

cerebro omnia mentientes, faciunt diabolum Patrem, cùm tamen DEUS ſit Author Naturæ & harum operationum. Contingit autem Curatio taliter. Supponendum eſt, cùm homo occiditur aut animal, Animam ſenſitivam non ſtatim perdere in totum gradum animalitatis, & licèt proprietates debitas non exerceat, quia in confuſionem redacta neſciens uti membris, attamen ſubſiſtit in tali ſtatu ſatis diu, & ſe demum in ſanguinem animalis retrahit.

219.

Unde DEUS prohibuit comedere animalium ſanguinem Judæis, eò quòd anima eſſet adhuc in ſanguine, ſic Caro recens mactatorum animalium etiam minutiſſimorum, quàm diu ſe anima in ſanguinem potiſſima ex parte non recipit, caro non eſt

tenera, ſed viſcoſa. Poſt horas tamen aliquid amittit gradûs animalitatis, & turgeſcentiæ illius, & tum caro fit flaccida, & quò diutiùs manet, eò tenuior, tum putreſcit tenerrima, ſed in ſanguine ſubſiſtit diu, donec ſanguinis particulæ ab invicem cedant, quod tardè fit.

220.

Hoc ſuppoſito dum corpus vulneratur, ſanguis avulſus à corpore retinet Ideam ſenſitivæ animæ in ſe diu, ut dictum, & mediante Luce ſive Anima Mundi inter media communicat ſuas actiones & paſſiones non aliter, ac ſi in corpore, cui conjungi deſiderat, adeſſet. Quando igitur Unguentum aliquod proportionatum applicatur ſanguini, ad deſtru-

ſtructionem tendentem Archæum in ſanguine placat, & mitigat, qui mediante Luce Archæum in vulnere, à quo avulſus eſt, ſimili afficit quiete, & à concepta furia ſeu charactere deſtructionis partis illius ipſum avocat, & memorem conſolidationis reddit, tum ſtatim ex alimento defluo conglutinat partes. Si verò magìs & magìs exaſperatus Archæus in ſanguine aut carne avulſa ſimilem caracterem imprimit Archæo in vulnere Carnis reſtanti, & tùm vulnus putreſcere incipit.

221.

Habent enim inter ſe correſpondentiam Archæus avulſus cum reſtanti in vulnere per multa milliaria per continuam pro-

propagationem effluviorum ſuorum unius ad alterum, ac ſi quis ex vulnere usq; ad ſanguinem fila traxiſſet, ut autem illa correſpondentia fiat fortior & activior, neceſſe ut fiat unguentum conſtellatum (quia non quodlibet hìc valet) id eſt ità diſpoſitum, quod copioſam Lucem (quæ facilè ſe in humanam vel alterius Animalis Ideam evolvi poſſet) contineat. Hinc adeps Vrſinus hominis adipi, & Caro Carni in multis ſimiles ſunt. Vsnea ſeu muſcus Craniorum humanorum Ideam animalem humanam in gradu vegetationis continet, quamprimùm ſanguinem avulſum contingit, ſenſitivum gradum adipiſcitur, & duplat Archæum avulſi ſanguinis; Sic junctis viribus vicinæ Luci ſimilis character imprimitur; hæc rurſus vicinam Lucem

cem ſignat, hæc tertiam, & ſic deinceps uſq; ad Locum vulneris non aliter ac ſonus propagatur, aut unda undam gyrat, ubi mox placantes Archæum furibundum conſolidationem vulneris moliuntur.

222.

Pariter quando Vitriolum ſophicè calcinatum ſuper ſanguinem ſpargitur à corpore ſeparatum ſuo ſulphure anodyno Archæum furibundum in ſanguine ſeparato placat, & quia in calcinatione copioſas Lucis particulas aquiſivit, in ſanguine Ideam animalem recipit, & appetitu innato conjungenti ſe Archæo, à quo avulſus eſt ſanguis, Ideas ſimiles ſibi evolvit per totum intermedium ſpatium ſcilicet placatas, uſq; ad locum vulneris, ubi mitigatus Archæus ſolidationem vulneris

neris molitur: non enim virtus unguenti aut Vitrioli tangit vulnus, ſed ſolum Archæum avulſi ſanguinis, qui, ut dictum, vi unguenti vel Vitrioli à furia revocatus, & pacificatus, ſimilem caracterem imprimit reſtanti in vulnere Archæo per modum ſoni ad longinguam propagat.

223.

Sed mirum & illud, quòd cadaver occiſi, ſanguinem vulnere effundat ad præſentiam ſui occiſoris. Cujus ratio poteſt eſſe talis: Dum enim quis ex malitia alterum occidit, Archæus ipſius totus quantus eſt, furibundus, Occiſi Archæus è contra totus quantus pavidus redditur, & ferè totum in ſanguinem ſe recipit (ut ſupra dictum) abolitionem ſui ex gradu animalitatis

tatis horrens. Dum occiſor appropinquat Cadaveri à ſe occiſo, Archæus occiſi ſentiens effluvia Archæi occiſoris, ultimam deſtructionem metuens, fugam quaſi molitur, quærens ſpatium in æthere amplius, unde ſecum ſanguinem rapit extra venas. Et hoc ideò, quia dum Archæus occiſor occidebat hominem, ſpecialibus caracteris furioſi effluviis in timorem & Anguſtiam coegit Archæum occiſi, qui caracter manet ſemper in Archæo Occiſoris, unde quam primùm appropinquat Occiſor Archæus ſimilia effluvia ſpargit, & in fugam concitat pavidum Archæum Occiſi.

224.

Hinc facilè eſt reſolvere, quomodo boves Laniones, & canes Canicidas olfaciant, & mox

mox in Iram aut fugam concitantur: Nam Archæus Lanionis bovem mactans, Archæo Bovis pavorem incuſſit, ſicq; character & deſiderium mactandi bovis inhæret Lanioni; Inde effluvia deſtructiva Archæi Bovis ſemper emittit, quæ beſtiæ olfaciunt, & Bovicidas ſuos fugiunt, vel perſequuntur. Par ratio Canibus & aliis beſtiis. Homo omnium miſerrimus, qui homicidas non olfacit, attamen aſpectus Carnificis Archæo hominis aliqualem incutit horrorem. Satis de his.

225.

Et hæc ſunt illa admiranda, quæ per Ariſtotelis Philoſophiam nequidem quoad umbram explicari poſſunt, idcircò Diabolicis artibus adſcribitur ſtatim id, quod ab iis non capitur. Propterea perjuri ſunt in Creatorem rerum,

qui

qui potentiam ipſius Diabolo adſcribunt, multis interea inanibus ſe torquent Phantaſiis, Non entia pro Entibus fingendo, & ſe ipſos fallendo. Sic dividunt Res in ſubſtantiam & Accidens, neſcientes nihil in Mundo eſſe, quòd eſſet in ſe ipſo accidens, niſi reſpectu alterius, ut pileus albus & niger Capiti eſt accidens. Clamatur in ſcholis, albedo, nigredo, durities, calor, ſunt accidentia, certè dum fundamenta ſua probare deberent, non adeò ſubſiſterent.

226.

Lux variè reflexa Colorum eſt origo in Corpuſculis pro hoc vel illo colore diſpoſitis. Hæc ſubſtantia eſt, quia Anima eſt Mundi, & dato, quòd non eſſet, tamen quia per ſe ſubſiſtit, idcircò nomen ſubſtantiæ meretur. Demonſtrat theſin Lapis Bononienſis

ſis, qui Luci expoſitus per aliquod tempus, eam in poris ſuis detinet, & in tenebras translatus, per longum tempus lucem & lumen promit.Ità Ignis non niſi eſt Lux intenſa vi ſulphureâ particulis excandeſcens, & vitro uſtorio Ignem fieri poſſe demonſtratur, dum radii ſolares concentrantur; Hic cum ſubſtantia ſit, Lucem quoque ſubſtantiam eſſe demonſtrat.

227.

Durities, mollities, particularum principiantium ad invicem rara & denſa proportio eſt illarum, quæ naturâ & eſſentialiter dura ſunt, ut Sal, terra, ſulphur. Sic reliquæ res, quæ accidentia vocitant, ſunt ſubſtantiæ, quæ tamen per accidens alicui corpori

pori inſunt, ut & abeſſe poſſunt.

228.

Hinc videre eſt, quomodo per doctrinam de ſpiritu Mundi Natura tota nuda ob oculos ponatur, ubi in Ariſtotelica Philoſophia vix umbra ipſius haberi poteſt. Sed, dices, eſt contra fidem, ſpiritum Mundi dari! Sed quàm facilè aſtruitur, tam facilè ſolvitur. Nam, quæ de Traduce Anima damnata ſunt, ea non intelliguntur de ſpiritu mundi, ſed de Anima Intellectiva, hæc Theologos concernit, non altera. Iterum damnata eſt ſententia illorum, qui duas Animas in homine docent; Verum eſt, Concilium damnavit illam doctrinam, dicentem, unam Animam eſſe à DEO, alte-

di talem, qui fuit in pane, non quidem annihilari, ſed abigi, & recipere ſe in viciniam, ſiquidem diviſibilem eſſe diximus. Ideò quod alii de materia & forma, quæ tranſiverunt in corpus, dicimus idem de Luce; & quod ipſi appellant accidentia, quæ ſuſtentantur per miraculum, nos dicimus principiantia corpuſcula ſuſtentari miraculoſè (ablatâ animâ) in illa proportione ac ſitu, qualiter fuerunt, dum actuabantur ſpiritu Mundi & eſſe Corporis Chriſti, ac Ariſtotelici aſſerunt, ſubſtantiam activam Lucem ſcilicet ſecedere, manere particulas principiantes, ſed hæ per ſe ſinè adminiculo Animæ Mundi panem conſtituere impotentes ſunt. Nihil ergò contra fidem ſpiritus Mundi agit,

comeſtus ad ſatietatem tam benè nutrit ac panis ordinarius, eſt experientia hiſtoriis comprobata. Vinum Sacramentale inebriat tam benè ac vinum ordinariũ, provoco ad experientiam. Subijciatur vinum conſecratum ignis analyſi, accipiemus idem ex illo, quod ex vino non conſecrato; videlicet ſpiritum vini inflam̃abilem, aquã, oleum, ſalem, terram, hæc igitur omnia ſunt ſubſtantiæ ſecundùm omnes Ariſtotelicos, hæc inveniũtur in vino conſecrato per experiẽtiã ignis, ergo fuerunt ibi, ergo ſubſtantiæ fuerunt in vino conſecrato. Hic quinque partes faciunt & ſunt ſubſtantiæ vini, ergo per conſecrationẽ non eſt ablata ſubſtantia vini, ſi dicas, productas eſſe in deſtructione ſpecierum denuò oportet probare id & demõſtrare, Credat Judæus Apella. Obijcies: ſi

hæc quinque commixta faciant ſubſtantiam vini, accipiantur ergò ſimilia quinque, & habebimus vinum, ſed hoc eſt falſum, ergò. Reſpondeo: ſi hæc quinque talia accipiamus, ac taliter miſceamus, prout Archæus vini miſcuit, concedo, ſi tantum pro libitu, nego; ratio eſt dicta in theſibus jam ſæpius. Quomodo ergò eſt ablata ſubſtantia cùm Nutrire, & initriare ſit proprium ſubſtantiæ ſecundùm Ariſtotelicos omnes. Urgeo: vinum ante conſecrationem naturâ ſuâ acidum poſt conſecrationem manet acidum. Acor vini provenit ex ſale tartari immaturo latitante in vino, hic eſt ſubſtantia ſecundùm Ariſtotelicos, ergò in vino conſecrato non eſt ablata ſubſtantia, vel neceſſariò admittendum eſt, aliquam ſubſtantiam permanere, & aliquam ſubſtantiam perire.

De

De Aqua.

DE creatione ipſius dictum ſupra, & quomodo ſit principium materiale ſubſtantificum omnium rerum, ex qua ſuam ſubſiſtentiam & nutrimentum omnia habent, & in quam omnia reduci poſſunt. Supponimus autem ut eſt apparenter aqua talis, non autem rigorosè, ut eſt unum ex principiis quia ſumpta ſimpliciter inporis ſuis habet abſconditam terram, ſalem, ſulphur, & lucem. Quæ tamen omnia ſeparari poſſunt Encheriſi artificioſa. Et eo modo dicimus omnia conſtare unico Elemento, id eſt aqua, quæ etiam limpidiſſima & diſtillata ſive arte per Alembicum, ſive natura per exhalatioem ipſius in ætherem, ſemper in ſe abſcondita habet reliqua principiantia corpuſcula.

238.

Sic igitur herbæ & Arbores nutriuntur aquâ, animalia herbis, & homo & herbis & fructibus & animalibus, idcircò omnia nutriuntur aqua, ſed ſub diverſis formis & figuris. Sic homo reducitur putrefactus in cineres & oſſa. Ex his poteſt fieri aqua, & oleum, hoc iterum in aquam reduci. Sic animalia omnia poſſunt reduci in ſalem, oleum, aquã, terram; & ſal, oleum, & terra, rurſus omnia in aquam. Pariter herbæ facillimè in aquam converti poſſunt, & potiſſima pars ipſarum eſt aqua. Quæ non eſt ab igne producta, ſicut ſibi Myſochymici imaginantur, ſed hæret in poris herbarum, aut vegetabilium, neque ullus niſi ſolus DEUS aquam creare poteſt, ſicut & ſolus eſt ipſius Author.

Fa-

Fateor tamen in poris ipſius particulas herbæ latitare, ſed levi artificio in Elementarem purificari poteſt.

239.

Sic vinum copioſiſſimum habet aquam elementarem,quæ in deſtillatione haberi poteſt, demptis aliis partibus vini. Undè nugentur illi,quivino miſcent aquam, & dicunt, illam tranſire in ſubſtantiam vini, neſcientes, neque quid ſit ſubſtantia vini, neque quòd aqua infuſa vel ad unam guttam iterum ſeparari poſſit. Experientiam damus: accipiantur duæ vini urnæ, in unam infundatur ſextarius aquæ, in alteram non, fiat ſeparatio partium per artem chymicam, tum ex illa urna (in quam ſcilicet infuſus eſt ſextarius aquæ) plus ſextario aquæ accipies, quàm ex altera.

Par ratio de gutta, quia aqua nihil inæternum aliud eſt, nec erit, quàm aqua, licèt larvas varias inducat, quas adminiculo abſconditarum in ſe particularum reliquarum induit.

240.

Nunquam enim illa puriſſima eſt unquam per ſe, aſt artificio chymico in ſummam puritatem deduci poteſt. Et tum nulli uſui eſt, tamen incorruptibilis, verum equidem eſt, dum diſtillatur etiam pluvia vel jam ſemel igne balnei diſtillata, poſtquam in vapores ſoluta eſt, relinquit aliquid ſedimenti ſemper, & quò ſæpius diſtillatur, ſemper minus, ultimò nihil, aſt tamen adhuc elementarem non dixerim, quia corrumpitur, quod ſignum eſt evidens, adhuc alias particulas in poris reſtitare.

Cor-

241.

Corpus ipſius viſibile equidem, palpabile, lubricum, aſt quid ſit inſe ipſo, nullus nos hactenus docuit. Continuum non eſt, ſed ſolum contiguum modiciſſimè ſibi tantum cohærens. Liceat conjecturari, eſſe infinitam quaſi congeriem minutiſſimarum atomorum eſſentialiter indiviſibilium ſpiraliter in ſe convolutarum, ex quarum copioſa congerie primùm guttula, dein ex pluribus guttulis gutta major, & majoribus guttis rivi, demum fluvii, & maria conſtituuntur. Quibus omnibus iterum maribus, fluminibus in guttas, demum guttulas, poſtmodum vapores, ultimò in attomos calore vel centrali, vel ſolari, reſolutis, fit inviſibilis, & rurſus frigore ætheris vel ſtellarum influxu præcipitatis atomis

aqueis fiunt guttulæ, guttæ, pluviæ imbres, flumina. Hic eſt, circulus ille, in quo rotantur omnia principia ex viſibili ad inviſibile, & ex inviſibili ad viſibile.

242.

Sic in atomos redacta aqua potiſſimum Athmoſphæram (aërem communiter dictum) conſtituit, hinc facillimè ex aëre aqua elicitur, & nubes & pluviæ generantur. Dum autem in guttulas aut guttas coagulatur, ſemper involvit aliorum principiorum particulas potiſſima ex parte ſalino-ſulphureas, ideſt nitroſas, atque terreas. Operationes illius ſunt admirandæ, maximè in illis experimentis, quæ metu vacui ſalvantur. Non tamen id fit ratione vacui, ſed quia partes aqueæ in ſubtiliſſimas atomos evolvuntur ex ſpiris majoribus, uſque ad minutiſſimas amplius eſſen-

eſſentialiter inevolubiles, quas nulla potentia mortalis amplius extendere poteſt.

243.

Unde in Machina Magdeburgica, aut Boyliana, poſtquam per antliam aeri (id eſt aquearum atomorum) copia evacuata eſt, ſicque particulæ reſiduæ ex ſpirali figura tandem ut membrana (ſimilitudine aliquali) extenduntur in longum & latum ſibi variè intricatæ ſed ſe implicantes potentiſſimè ſibi cohæreat, & in majus ſpacium illas extendere nulli potentiæ mortali poſſibile, evenit, ut globus, ex quo atomi illæ extractæ ſunt licet non ſit glutinatus ad invicem, nulla vi, nullo pondere, in partibus ſuis ejus ab invicem divelli poſſit, donec locus aliis particulis ſubintrandi detur.

244.

Ex aqueis vaporibus pluvias naſci dictum, ſed non ſolùm pluvia, verùm etiam nix, & grando originem debent aqueis atomis: nam quando atomi aqueæ in ultimas atomos diviſæ & reſolutæ, in altius ætheris ſpatium elevantur, copia earum ſimul & ſemel conſtringitur ſubitaneè, ut ſe in ſpiras reducere non valeant (quod etiam in pluvia contingit) & ſic per cruces in varias figuras ſe interſecantes ſibi leviter cohærent cadunt in forma nivis. Sua tamen coagulatione multum de ſalino-ſulphureis, ſeu nitroſis particulis in ſe recipiunt, quod ex nivibus, modo Chymicis noto, ſeparari poteſt.

245.

Grando majori frigore concreſcit, tali inquam ac ipſa glaceſcit,

ceſcit, dum atomi pro pluvia ſe diſponentes in ſpiras & globulos contorti, vento aliquo in frigidiſſimum ætheris ſpatium excutiuntur furſum. Ubi derepentè in forma, qua ſunt globoſi, ſcilicet glaciantur. Quod aliquando grandiores globi magni fiant, eſt ratio magnarum guttarum aquæ, & aliquando multarum ſibi cohærentium, ſimul derepentè glaciatarum, quare variæ figuræ in grandine ſæpius obſervatæ, quas immixtæ particulæ nitri etiam promovere ſolent.

246.

Ad ſimilitudinem hanc aqua noſtra in glaciem in Hyeme vertitur, nam dum frigus aquam conſtringit, multas particulas ejus in aerem expellit, remanentes extendit, in figuras varias, variò ſitu inter ſe collocatas, cuſpidatas, ob-

eſt, ideòq; globuli hi lubriciſſimi ſunt, omni corpori facilè cedunt, quare corpora ſubmerguntur, niſi ſint corpora ſimilia, quæ in poris ſuis atomos aquæ ſubtiliſſimos contineant, ob quos redduntur leviora, quàm ſpiriales aqueæ ſuſtentantes. Sic ligna, fructus, & alia levia mergi non poſſunt, quia poris latitat æther & aqua quas ſpiriales craſſiores furſum ſemper protrudunt. Naves etiam cupreæ cur non ſubmergantur (cùm tamen particula, parva licet, cupri fundum petat) eſt ratio; quia columna aquea, quæ correſpondet ſpatio navis in aqua natantis, eſt gravior, quàm navis onerata, ſic dum particulæ ſpirales aqueæ à navi premuntur potentiſſimè reprimunt, & ſic navem ſuſtentant.

tant. Quod non fit, dum corpus aliud injicitur compactum, quia licèt columna gravior eſſet, tamen tale corpus aqueas particulas non premit, ſed dividit. Hinc illæ facilè ab invicem faceſſunt, columnam nullam ſervare poſſunt, unde nec reprimere, & ſic merguntur ſimilia corpora.

248.

De Terra.

Erram hic, globum terrenum intelligi nolo, matrem omnium viventium analogicè. Matricem autem omnium mineralium, ex oſſatura ſaxea, ſabulo, arena, limo, cinere concinnatam. Pyro, & hydrophilacia intrinſecè abſcondentem, concamerationibus, antris, voraginibus, aliàque fabricarum varietate decoratam. In medio Terræ, ſeu centro mundi, ha-

di habitat ſol terrenus, ſeu ignis ſubterraneus,lux inquam in particulis ſulphureis in ſcandeſcentiam furiamque acta, & facta ignis comburens, & deſtruens. Eſt ergò Terræ globus corpus, in quo terrenæ particulæ principiantes prædominantur, ſed illæ tanquam principiantes nullibi in terra ſolæ reperibiles, ſed facilè acquiſibiles in rerum analyſi maximè vegetabilium, ſive herbarum & lignorum, ubi poſt combuſtionem remanet cinis,ex quo ſi ſal totùs extrahatur, remanet terra, verum rerum principium, quæ in igne incorruptibilis depuratur,ut fiat Chryſtallina diaphana ut vitrum Symbolum terræ globi igne poſtremo in Criſtallum calcinandi.

249.

Terram Virgineam ſive primigeniam ex aere quoque expiſcari licet, quam piſciculum Echeneidem arbitrati ſunt aliqui, ſed decepti, nam quando certo artificio aerem in aquam vertiſti (ut cum vulgo loquar) & illam in balneo roris diſtillaſti, in fundo manet terra ſale nitroſo ſubtiliſſimô prægnans, quæ dum ab inviçem ſeparâſti, terram virgineam nactus es.

250.

In globo terræ eſt chäos admirandum variarum rerum, & infinitarum quaſi particularum: nam primò in illo ſunt varia fermenta, à DEO creata, quæ lucem determinant, ad hanc vel illam Ideam evolvendam, & illa ſibi propor-

tio-

tionatas ponit, & aſſumit particulas, hinc non omnia fert omnis tellus; quia DEUS in creatione dicendo: producat terra omnem herbam virentem, & omne animal, fermenta ſimilia producendis herbis & animalibus apta indidit, & ſecundum illa hæc regio fert illud, alia aliud. Ita etiam Animalia non ubique ſimilia, ſed in eadem ſpecie pro varietate regionis varia individua, quaſi alterius eſſent ſpeciei, naſcuntur canes melitenſes, moloſſi Anglici, & ſimilia plura.

251.

Tam quoque fermenta pro mineralibus creavit, ſecundum quæ naſcitur ex particulis principiantibus mercurius metallicus,

& ex

& ex illo metallo alibi metalla, alibi vitriolum, alumen, biſmutum, Arſenicum, hæc enim fermenta ideam talem evolvi faciunt in luce, quæ ſibi jam particulas aptas adhoc deligit & ponit, continuo fermento aſpirata.

252.

Stat autem terra in æternum ſcriptura teſte, ceu centro ſuave loco non movetur, ſicut cætera aſtra quæ & circa centrum Univerſi ſive terram, uſque ſpatio menſtruo vel annuo, vel biennió, vel pluribus annis, fortè & centum, tum vel mille annis ſtellæ rotantur. Illa vera Baſſis univerſi ſuo centro & univerſi conſiſtens, non niſi motum diurnum habet, quem intra viginti quatuor horas ab occidente in Orientem conficit. Undè
ſolem

ſolem & ſtellas nobis oriri & occidere facit, dum enim cum terra verſus ſolem accedimus, ille nobis oritur, dum recedimus, occidit, idque tantùm tamen paſſivè.

253.

De Sulphure.

Sulphur commune, quod eſt in centro aut partibus cavernisque variis terræ, eſt origo cum mercurio metallico omnium metallorum & mineralium: Nam in illo latet ſal vitriolicum, quod, dum ſulphur mercurium coagulat, ſe admiſcet, & varia realgaria mineralia & metalla producuntur, uti jam ſupra ſuis locis dictum.

Primi-

254.

Primigenium tamen non eſt, ſed abundat illo, cui reliqua ſunt quoque in copia admixta principia, undè pro varia mixtura in forma olei effluit ex cavernis terræ, conſtituit bitumen, foſſiles varias pinguedines, gagatem, naphitam, ſuccinum, omnia hæc & ſimilia ſunt ſulphuris magis vel minus depurati, magis vel minus terrei producta. Sic etiam cum alimento herbarum & arborum infringitur, & miſcet ſe per minima corpori. Quando verò vegetabile aliquod in carbones reducitur, ex illo certè poteſt ſeparari tam perfectum, ac

ac ex terra effoditur in ſe primigenium ſulphur continens.

255.

Quod nihil aliud eſt, quàm particulæ lucis copioſæ viſcoſitate aquæ, inſimul cum ſalinis primigeniis per minima commixtæ, nullibi puriùs reperibile, quàm in ſpiritu vini vel aliorum fructuum, ubi ſulphur in aqua latitans, mox in fluorem abit, admoto ob particulas ad fluorem diſpoſitiſſimas igne, ſale partim in fuliginem abeunte, partim cum aqua in auras depulſo, quam ſi tu capere ſcias, invenies illum pretioſum ſalem

lem cœleſtium virtutum, Sulphur autem ut ſepares ſinè incenſione, plusquam Herculeum requirit laborem, ſi tamen probus ſis artifex, id præſtare poteris, & primogenium ſulphur in forma olei accipies, cui admixta erit aqua; hâc ſeparata, nactus es, quod deſiderâſti.

256.

De *Sale*.

SAl communis ut dictum, non eſt primogenium, ſed compoſitum ex primogeniis particulis elementaribus principiantibus ſale prædominante, quod unà cum

aqua

aqua creatum eſt, ut ſupra dictum. Et illud, quod gemmeum & foſſile appellatur, æquè eſt creatum, ac illud marinum, neque à marino, niſi denſitate, & puritate, vel impuritate diſtinguitur. Quando enim aqua maris per interiora terræ aſcendit montes altiſſimos ſabulum tanquam colatorium tranſire debens, ſalem ſuum deponit in ſabulo, & aqua dulcis erumpit foràs in fluvios & rivos rurſus in mare ſalſa futura decurrens. Et ſic aqua ſuum circulum æquè habet. Undè autem mari novus ſal, ſi aqua maris ſuum ſalem re-

linquet in terra? dicendum neceſſariò habemus, eundem mari revehi cum limo fluviorum & aliis rerum excrementis, quæ cùm omnia ſale abundent & conſtent, rurſus ſuum ſalem mari, ex quo deſumptum erat, reſtituunt etiam variis rivulis ſubterraneis. Niſi quis etiam ſalem à luce produci vellet, & tum tantùm ſuperfluam humiditatem elevando in æthera occaſionaliter id eſſe poſſe concedimus, non autem ſalem ullum progenerari denuò, quod ſolius DEI eſt.

Multi

257.

Multi contendunt ex aqua ſalem generari, quia ſal rurſus in aquam reduci poſſit. Aſt pace illorum dixero, eos multum falli: cum enim in ſimilibus Experimentis, quibus ſal in aquam vertitur, tantum aqua ex aere attrahitur, ut ſal ab invicem valdè diſgregetur, & in minimas atomas dividatur, tum linguæ ſuum ſaporem imprimere non poteſt, non aliter, ac aqua pluvia, quæ ſalem in ſe continet, guſta tamen non deprehenditur, & ſic putatur ſal verſus in aquam, quod tamen non eſt, & ſal rurſus haberi poteſt. Helmont ſuo Alka-

eſt ſalem in aquam ſe vertiſſe dicit. Sed ſanè in viſcoſiſſimo alkaeſt poris occultatus latitat ſal, licet linguæ ſaporem imprimere, non poſſit, quia particularum Alkaheſtinarum gibboſitas, quod in poris latet profundius, ſitum non admittit, & linguæ communicatur. Sal igitur eſt incorruptibilis & immutabilis,& primigenius tam ex aere, quàm ſpiritu vini frumenti & fructuum haberi poteſt artificiô ſingulari, lucis concentratæ habitaculum, & corpus primum, quo ſe inveſtit ut poſſit manibus tangi, & comprehendi, atque pro

va-

variis generationibus, & operationibus totius univerſi perficiendis adaptari. Et hæc ſufficiant. DEO ter optimo maximo laus & gloria & gratiarum actio, & benedictio in ſæcula ſeculorum. Sanctiſſimæque Deiparæ Virgini. SS. Angelis, ut & SS: omnibus ſua Laus & gratiarum actio. Amen.

PROTESTATIO AUTHORIS.

QUidquid in hoc toto opuſculo vel minimum continetur, quod S. Romanæ fidei adverſaretur, & ad ſatisfactionem explicari non poſſet, hoc totum aboliri, annihilari volo, & hac proteſtatione caſſo, damno, & annihilo.

BI